

der
IX
is
ign
op
tim
(cu
allic
ru
of
nre
nu
leg
act


11. De
2. G
3. Ch
4. Se
5. E
6. E
7. foh
8. E
9. fo
10. fo
11.
12.
13.
14.
15.
12.
F

Nf. 133.



Contenda

1. Seb. Schmidij Mystericum Gratia Divina
2. Egd. Commentatio in Ep. ad Galatas
3. Christoph. Wölflini Mystica Fidalium cum Christo unio ex Joh. 15.
4. Seb. Schmidij Disput. de Conjugio mystico ex Ephes. 5. v. 20
5. Egd. Disput. de Unctione Messiae ex Ps. 45. v. 8.
6. Egd. Disput. Argumenta firmisissima pro Resurrectione Christi ex Joh. 5. v. 23
7. Joh. Conr. Sannhaveri Disput. de erroribus Discipulorum Christi circa Regnum
Messiae mundanum.
8. Egd. Disput. de Concilio Hierosolymitano.
9. Joh. Majoris Exegesi. Cassici Ex. 1. in Rom. 9. v. 17.
10. Joh. Faustij Disput. de divina motione Act. 17. v. 28
11. Naaci Faustij Disput. de Chiographia ad Col. 2. v. 14
12. Naaci Faustij Disput. de Sarcophago
13. Aug. Pfeifferi Disput. de Variantibus XI. Ti. Lectionibus Graecis
14. Keuchenbergeri Disput. de Variantibus XI. Ti. Lectionibus Graecis
15. Joh. Schalleri Christi lapic. offensio nit. (Pet. 2. v. 7 et 8.
16. Faust de Satisfactione Christi Chiographu. delectu Col. 2. v. 14.



7.
ang

I. N. D. N. ꝯ. C.
DISPUTATIO INAUGURALIS
De
ERRORE
APOSTOLORUM
ET DISCIPULORUM
CHRISTI

Circa Regnum Messiae mundanum,
Quam in Alma ARGENTORATENSIVM Univerſitate
SUB PRÆSIDIO

Viri maximè Reverendi
DN. JO. CONR. DANNHAWERI,
SS. Theol. Doct. ejusdemq; Prof. Primarii, Con-
vent. Eccles. Præſid. Capit. Thom. Decani,

Patroni & Præceptoris ſui ſummoperè venerandi,
Pro conſequendis Honoribus & Privilegiis

DOCTORALIBUS

In ſolenni congreſſu defendet

M. ELIAS VEIEL,

In ſummo ULM. Templo Eccleſ. & in Gymn. SS. Th. Prof.

A. M. DC. LXIV. M. Septemb. D. 14.

Horis ante- & pomeridianis.

ARGENTINÆ,

Apud SIMONEM PAULLI, Bibliop.
Literis JOHANNIS PASTORII.

Die ...

POST ...

Die ...

...

AGGREGAT ...



I. N. D. N. J. C.

De
ERRORE APOSTOLORUM
ET DISCIPULORUM CHRISTI
CIRCA REGNUM MESSIÆ MUNDANUM
Disputatio.

PROOEMIUM.

Populum Israeliticum præ nationibus terrarum orbis omnibus, amplissimis prærogativis, maximisque promissionibus fuisse illustrem, nemo est inter eos, qui Christiano censentur nomine, qui id nesciat. Hinc illud Mosis Deut. 4, 7. *Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat ita DEUS propinquantes sibi, sicut Dominus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Cui gemina est sententia Davidis Psalm. 147, 20. *Non fecit taliter omni nationi.* Succinit in novo Instrumento Paulus Rom. 9, 4. 5. *Quorum (Israelitarum) adoptio est, & gloria, & testamentum, & legislatio, & cultus, & promissa: quorum Patres, ex quibus est Christus, secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Hic Christus sive Messias est centrum, Apex, A, & Ω, omnium excellentiarum & promissionum, maximè spiritualium: quæ, cum frequenter sub involucro beneficiorum temporalium adumbrarentur, amissa inter populum Judaicum clave scientiæ, ut ferè nil nisi carnem saperent, violenter fuerunt coactæ, inque alienissimum sensum detortæ: inter pseudhermenias illas carnalis populi, in primis excellit vecors ista persuasio de regno Messiae mundano, qua tantum abest, ut leviter duntaxat tincti fuerint Pharisei & eorum asseclæ, ut potius, & cum illis ipsi Servatoris nostri discipuli, quamvis per tempus benè longum in Schola Christi educati, & placitis anti-Pharisaicis innutriti, eadem opinione penitissimè fuerint imbuti: quo de argumento, consensu & autoritate Venerandi Collegii Theologici, *σὺν θεῷ παλάμῃ*, quantum quidem instituti

A 2 nostrè

nostri ratio & amata certas ob causas brevitatis, feret, non nihil acturi sumus: Disperscemus autem totam tractationem in Articulis tres: I. Complectetur nonnulla de opinionibus Judæorum, regem & Messiam mundanum desiderantium, quibus alia scitu forsitan vel recognitu haud indigna interspergentur. II. Expediet quaestionem, an & quatenus error iste in discipulis Christi fuerit tolerabilis? aliaque hujus generis cognata continebit. III. Porismatis quasi loco docebit, Apostolos, utut scito illi pharisaico addictos, propter mortem Christi fide apprehensam nihilominus fuisse justificatos. Feliciter!

ARTIC. I.

§. 1. Nomen *Messia* notius est, quam ut de eo verbosiores iusto esse debeamus: Hebraeo, Chaldaeo, Syro, Arabi, significat Unctum. In primis autem Reges & summi Sacerdotes in populo Israelitico, sacro oleo fuerunt delibuti, & ita in suum munus immisisti: neque tamen unctio Regibus & Pontificibus ita erat propria, ut praeter eos nemini contigerit: nam & principes alii, sacerdotes inferiores, & Prophetæ nonnunquam uncti leguntur: quamvis in hoc ritu haud una notari queat diversitas. Adeat, qui volet, Schickhardi jus Reg. p. 22. Selden. l. 2. de success. in Pontific. Hebr. c. 9. Buxtorff. diss. 3. ex Abarben. p. 453. Sim. Episcop. P. 1. oper. p. 69. Ἐξοικνωσ nomen *Messia* tribuitur Christo nostro, quem reliqui Uncti Instrumenti Veteris praefigurarunt, eumque Regem, Prophetam, & Sacerdotem Optimum Maximum fore, eminus ostenderunt.

§. 2. Celebratissimum autem inter Antiquos Judæos semper fuisse nomen *Messia*, vel ex solo paraphraste Chaldaeo, maxima apud ipsos Judæos auctoritatis, liquidò constare potest: loca, si rectè numeravi, conduxit Cl. Buxtorff. in Lex. Chald. Thalm. Rabb. LXXI. ex Targum, in quibus nomen *Messia* legitur. De aliis *Messia* inter Judæos appellationibus videri potest cap. XI. Excerpt. Gemar. Sanhed. §. 36. & ibid. doctiss. Joh. Coccejus not. 23.

§. 3. Et si autem articulus de *Messia* à plerisque Judæis reputa-

putatus sit inter fundamentales, alii tamen de eo dubitarunt: *Eum, qui credit legi Mosaicæ, necesse est credere Messiam adventaturum,* (ita strictim & breviter ex Josepho Albo Hisp. Coccejus ad Sanhedr. p. 376.) *Lex enim præcipit Prophetis fidem adhibere. Jam Prophetæ Christum prædixerunt venturum.* Inter עקרין sive articulos fidei Judaicæ duodecimus est: *fide perfectâ adventum Messie credo, & etiam si ret ardet, nihilominus semper illum expectabo, donec veniat.* v. Buxtorff. Synag. c. 3. it. If. Abravenelis ספר ראש אמנה qui commentar. suum ita exorditur: *Primus, qui incepit redigere in ordinem radices & fundamenta legis divinæ, fuit eximius iste Rabbam.* Postea autem 13. istos articulos R. Maimonidæ recitat; cap. 3. dubia Magistrorum proponit, & scribit: *Dubium V. est, quod numerat Rab adventum Messie articulum; quia, etiam si vera esset fides, tamen non erit hæc fides fundamentum, ut ob ejus everisionem concidat lex: & sanè invenimus in c. cheleck fol. 98. dicere Rabbi Hilel: Non habent Messiam Israelitæ, quia jam eo potiti sunt temporibus Chizkibæ & c. c. 14.* Conatur respondere ad dubium V. & Hillelis sententiam excusare, emollire, aut distinctiuncula mitigare, quæ in re tamen acutum alias Judæum Hispanum frustra esse ostendit Guil. Vorst. in eruditis not. ad istud cap. qui & commentarium ipsum Abravenelis vertit. conf. Cl. Hotting. thes. Phil. p. 78. Eduard. Pockock. in not. miscell. ad Portam Mosis.

§. 4. Etsi præterea de duabus Messie naturis, attributis, passionibus, stemmate, loco nativitatis, beneficiis, clarissima reperirentur testimonia, spissam tamen ignorantie nubem sibi obducetes, oracula divina sublesta interpretatione aliorum obliquarunt, & varia sibi somnia confinxerunt. Hinc non modo stulta Judæorum turba Joh. 7, 27. ait: *Nunquid verè cognoverunt principes, quia hic est verè Christus? Sed hunc scimus unde sit: Christus autem cum venerit nemo scit, unde sit.* De modo ortus (ita Jo. Lightfootus Hor. Hebr. in Evang. Matth. c. 2, v. 16.) *Messie cæcutiit plurimum gens Judaica, atq; unde ille nemo novit Joh. 7. hoc est, quo ortu, an è vivis, an è mortuis prodiret, ambigebatur.* Decepti forsitan falsa interpretatione vaticinii Esaiiani: *generationem ejus quis enarrabit, Esa. 53, 8.* Sed etiam eruditi & doctores ex populo ib. v. 52. Nicodemo mitius de Christo censenti, oggerunt: *scrutare, & vide, quia à Gali-*

laa Propheta non surgit. Quin verus ille Israelita Nathanael, quasi insultans Joh. 1, 46. quærit: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Discipuli Emauntici quoq; mentem suam de beneficiis Messiaæ patefacientes inquirunt: *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel.* Luc. 24, 21. Quam maximè vero fascinata erat Judæorum gens imaginatione regni mundani, & potentatus amplissimi, cui colla subjēcturæ essent nationes orbis universi omnes.

§. 5. Per summam igitur ἀβλεψίαν & socordiam, rerumq; mundanarum studium desideriumque, gens Judaica aliud nil somniabat, quam Monarchiam terrenam, opes, & delicias hujus sæculi: pertæsi scilicet erant Judæi dominationis alienæ, eò semper adnitentes, ut excussa servitute, in antiquam sese libertatem assererent, insuper interim habita libertate vera & spirituali, per Messiam non soli Judæorum genti, sed orbi universo procuranda.

§. 6. Hæc igitur citra dubium Judæorum, tempore Christi fuit sententia, Messiam ad formam regiminis Davidici vel Salomonici regnum instituturum, ab allophyli Herodis tyrannide Israelitas liberaturum, Romanorum imperium destructurum, nominisque Judaici hostes universos oppressurum esse: nam quæ deinceps, ævo patrum deterior ætas commenta est de opiparo convivio, Leviathane, Behemoth, ave bar Juchne, aliisq; hujus farinae nugis delirantium homuncionum, ea meram ineptitudinem spirant eorum qui justo Dei judicio toti facti fuerunt carnales & affini: quæ nugamenta nec ipsis inter Judæos sapientioribus arri dere potuerunt. vid. Buxtorff. Synag. c. 50. Hotting. Hexaëm. p. 214, 224. G. Vorst. ad Is. Abrav. de cap. fid. p. 68.

§. 7. Hæc tamen figmenta, ut hoc obiter adjiciamus, haud dubiè fraudi fuere nonnullis in ipsa Ecclesia Christiana Viris & Doctoribus optimis, vel præconceptum, ex malè intellectis Scripturæ locis errorem magis roborarunt, ut Chiliafici dogmatis auctores & defensores existerent. de quo præter Veteres & fontes ipsos diligentissimæ egerunt Gerh. T. 9. L. de consumm. sæc. §. 67. seqq. Dannhavv. in Dram. Calixt. de supr. Jud. p. 151. Dallæus de vero usu PP. p. 289. Dispp. Gies. T. 7. dilp. 13. append. Hotting. Pent. p. 5. 17. adde etiam Franc. Fevardent: ad Iren. p. 494. Errorem hunc totiens in Ecclesia Christi damnatum & exulare jussum

sum, postliminio quasi sæpè jam reducere voluerunt homines fanatici, idque hodie in Belgio magno nisu agere videntur, uti perspicere licet tum ex aliis opusculis, tum ex libello anonymi, qui Dan. Brenii, hominis Sociniani, annotationibus in Vet. & Nov. Testamentum, est subjunctus, una cum disputatione anonymi, Sociniano quoque spiritu agitati, cum Judæo Lusitano: nec minus multis modis in hoc negotio desudat Joann. Serarius, qui se Theologum appellat in apolog. resp. de conjunct. nupera planetarum A. 1662. contra D. Sam. Maresium: an ille Serarius hæc hauserit ex Schola Alstedii, vel alius alicujus, mihi non constat. vide Hodomor. Spir. Calv. de Chiliafmo Piscat. Bisterfeld. & imprimis Alsted.

§. 8. Verum hæc ὁδὸς πάρεργον dicta sunt. Videamus jam aliquantulum, quæ sit germana de regno Messia in codice Sacrosententia. Messiam honore & dignitate regia præfulgidum fore, Judæi omnes facillè colligere poterant, nec quispiam eorum fuit, qui abnuerit, licet nonnunquam apertissima loca suis glossis conspurcarint. Illustris est locus Zach. 9, 9. *Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi justus & Salvator.* Digna est quæ inferatur commentatiuncula Cyrilli Hierosolym. catech. XII. p. 108. scribentis: πολλοὶ βασιλεῖς, περὶ τινὸς λέγεις, ὃ πρὸ Φῆται; δὸς ἡμῖν σημεῖον ὃ μὴ ἔχῃσι βασιλεῖς. εἰ εἴπῃς πρὸς Φυροφόρον βασιλέα, πρὸς εἰληπτα τὸ ἀξίωμα ἔχῃμα; εἰ εἴπῃς, ὑπὸ στρατιωτῶν δορυφορημένων, καὶ ἐφ' ἄρμασι χρυσοκολλητοῖς καθεζόμενον, πρὸς εἰληπτα παρ' ἄλλων καὶ τῶτο. δὸς ἡμῖν σημεῖον ἰδιάζον τῆ βασιλείας, ἔ τὴν βασιλείαν καταγγέλλεις. ὃ δὲ πρὸς Φῆταις ἀποκρίνηται, καὶ λέγει, ἰδὲ ὁ βασιλεὺς σε ἐρχεῖσά σοι δικαιοσύνη καὶ σώζων. αὐτὸς πρῶτος καὶ ἀπὸ βεβηκὸς ὅτι ὑποζύγιον καὶ πῶλον νέον. καὶ ὅτι ἄρμασιν. ἔχεις μονογενὲς σημεῖον τῆ πάρεργον βασιλείας. Ἰησοῦς, ὅτι πῶλον ἐκάθισεν ἀσιγῆ, μετ' εὐφροσύνης ὡς βασιλεὺς εἰς τὴν Ἱερουσαλήμ εἰσερχόμενος. *Multi sunt Reges, de quo igitur hic dicit Propheta? da nobis signum, quod alii reges non habeant. Si enim dixeris purpuratum regem, præoccupata est hujusmodi dignitas: si dixeris à militibus stipatum, in curribus auratis sedentem, hoc etiam ab aliis est præoccupatum. Da nobis signum proprium regis, cujus regnum annuncias? Propheta autem respon-*
det;

det, & dicit: Ecce rex tuus veniet tibi justus & Salvator, ipse pauper, & ascendens super asinam, & pullum filium asinae: non in curribus: habes singulare signum adfuturi regis. Solus regum Jesus, super pullo asini sedet, & solenniter cum benedictionibus tanquam Rex in Hierusalem ingressus est. Quod oraculum Zacharianum Matth. 21, 4. & Joh. 12, 13. in ingressu Christi complementum adeptum est. Suppar huic est vaticinium Ps. 132, 11. Juravit Dominus Davidi veritatem, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Eadem promissio extat Jerem. XXIII, 5. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Davidi germen justum, & regnabit Rex, & sapiens erit: & faciet iudicium & justitiam in terra. Insignis quoque locus est Ps. 2, 6. Ego autem constitui regem meum super Sion, montem sanctum meum. Integrum hunc Psalmum à veteribus Judæorum magistris de rege Messia explicatum fuisse, testis est R. D. Kimchi: Quid autem illum, (ita Pockock. c. 8. not. miscell. in Portam Mos.) aliosque, qui in plerisque majorum vestigiis usque ad superstitionem mordicus adherent, hic permoverit, ut in contrariam planè sententiam ab iis discederet, cum fatentibus ipsis omnia secundum eorum mentem optimè procederent, facile discimus ex iis, quæ ad eundem Psalmum commentatus est R. S. Jarchi, quem etiam confitentem habemus רבותינו דרשו את הענין על מלך המשיח ולפי משמען ולתשובת המינים נכון לפותרו על רוד עצמו, Doctores nostri exposuerunt (hujus Psalmi) significatum de rege Messiah, at prout sonat, & ut respondeatur Minais, seu hereticis, expedit interpretari ipsum de ipso Davide. Hoc, hoc, unum est, quod Judeos à majoribus suis etiam verum dicentibus, quibuscum alias errare malunt, quam cum aliis veritatem amplecti, in diversum, scientes ac volentes trahit. - - At istam R. Salomonis, quam laudavimus confessionem, qua ideò veterum interpretationem à recentioribus rejectam fatetur, quo facilius Christianorum argumentis occurrant, negando scil. de Christo intelligi debere Psalmistæ verba, à nobis confictam esse dicat quispiam, cum in iis quæ vulgo hominum manibus teruntur editionibus non occurrat; fatendum nec in editione Basiliensi à Cl. Buxtorff. adornata, nec in Venetis recentioribus reperiri verba לתשובת המינים, qua tamen editiones antiquiores ngnoscunt. Haftenus Eruditiss. Pockock. ubi docte etiam

etiam in causas inquirat, ob quas nihil in Judæorum scriptis, quæ nunc habemus, reperitur, quod nostram causam juvet, & postea aliquot loca, quæ in omnibus Kimchii in Prophetas posteriores commentarior. editionibus mutila habentur, codicum MSS. ope in integrum restituit. In Novi Testamenti primordiis regnum Messiae annunciat Gabriel Luc. 1, 32. *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur, dabitq; ei Dominus Deus sedem Davidis Patris ipsius, regnabitq; in domo Jacobi in æternum, & regni ejus non erit finis.* Nec latuit Magos Orientis axioma regium futuri Messiae, ita sciscitantes; *ubi est ille rex Judæorum, qui natus est?* Ipse quoque Christus noster Nathanaëli haud quaquam contradixit, dicenti: *Rabbi tu es Filius Dei: Tu es rex Israel.* Joh. 1, 49. nec minus mulierculæ Samaritanæ aperte confessus est, se esse Messiam, Joh. 4, 26. turbæ item acclamanti, novoque regi congratulanti tantum abest, ut restiterit, ut potius Phariseos obmurmurantes graviter represserit Luc. XIX, 40. Pilatoque percunctanti Joh. XIX, 37. affirmavit, se esse regem.

§. 9. Et hæc quidem dicta de ea potissimum regali eminentia loquuntur, ut quæ Messiae ut homini in tempore collata fuit. *Puer natus est nobis, & Filius datus est nobis, cujus principatus super humerum ipsius.* Es. 9, 6. Ad quem locum Tertullian. l. advers. Jud. c. 10. scribit; *Quis omnino regum insigne potestatis suæ humero præfert, & non aut capite diadema, aut in manu sceptrum, aut aliquam propriæ vestis notam? sed solus novus rex seculorum Christus Jesus novæ gloriæ & potestatem & sublimitatem suam in humero extulit, crucem videlicet.*

§. 10. Est autem hoc regnum Messiae in mundo quidem, & in mundum, sed & supra mundum, non autem de mundo, hoc est, non mundanum & sæculare, sed spirituale & cæleste Joh. XIX, 36. *Regnum meum, ait ad Pilatum, non est ex hoc mundo, si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei certassent, ne traderer Judæis: nunc autem regnum meum non est hinc.* Id quod nonnullis probatum ibimus argumentis. I. Sumitur à negatione apparatus & splendoris regii, prout ille oculis hominum quorumvis illabitur. Pulcherrimè hæc exponi possunt verbis Venerandi & meritissimi Præceptoris nostri Theol. Symbuleut. P. 2. spec. Dia-



log. III. p. 447. cujus hæc sunt : *Homo prudens, suag, conscientie cultor, inter tot regna, regnorumve larvas, Regnum DEI suumq, in illo locum, πολίτευμα, patrimonium, thesauros, jura querit, sicut Israëlita in deserto exules regnum Cananeum : in quo à DEO immediato Rege regnum sacerdotale conditum, sed post prurium regis terreni decoctum fuit : repromissum à Prophetis Ps. LXXII, 8. &c. ad quod populus Judaicus sub jugo Romano toties flagrantissimis suspiriis anhelavit, (hinc toties de regno DEI quaesitum in historia Evangelica, ac disputatum) in Christo illius novi regni conditore fastidivit, eo quod vilius esset concepta spe, quodq, ad gentes Judaica nationi invisas, passim diffunderetur. IRN. Fuerit igitur querendum regnum DEI, ac optandum, ut ad nos veniat, sed unde & ubi? p. 452. DUAR. Nemo hoc problema certius tutiusq, solvit ipso Christo, cujus hæc extat memorabilis sententia. Interrogatus enim Luc. 17, 20. seq. conf. Matth. XXIV, 23. à Phariseis, quando venit regnum DEI? respondens eis dixit; non veniet regnum DEI cum observatione, neq, dicent, ecce hic, aut ecce illic: ecce enim regnum DEI intra vos est. Exegetin, ut & utilissima consuetaria hujus dicti legas ibid. Expectabant Pharisei Regem Messiam μετὰ πολῶν Φαρισαίων, insignique magnificentia praelustrem adventurum; at verò ille regale folium in corde despectissimorum quoque κατ' ὄψιν hominum collocare voluit: Ecclesia igitur non Babylonicâ pompâ splendens, sed interiori ornatu corusca, regnum est Messia Psal. II, 6. II. Regnum Christus mundanum nunquam ambivit, quin apertè eos repulit, qui sponte deferre cupiebant Joh. 6, 15. Jesus ergo cum nosset venturos, & se abrepturos, ut facerent se regem, secessit rursus in montem ipse solus. Discipulosque ob affectatum regnum graviter increpavit: scitis, ajens, Principes gentium in eas dominari, & magnates uti auctoritate in eas. Verum non ita inter vos, sed quicumq, voluerit inter vos magnus fieri, esto vester minister, & quicumq, voluerit inter vos primus esse sit vester servus. III. Modus parandi offendit, regnum Messia non esse mundanis dominationibus simile: Quod si omnes populi, penes quos sit imperium, ipsi Romani, qui orbem totum possedere, justitiam sequi velint, ac suum cuiq, restituere, quod vi & armis occupaverunt, ad casas & egestatem reverterentur, ait Lactant. in Epit.*

Luc. 22, 25. 26.

Epit. c. 1. At verò vi & armis carnalibus neque Christus ipse sibi parare, nec per ministros parari voluit imperium, sicut ipsum audivimus Pilato respondentem: *si regnum meum esset de hoc mundo, ministri mei certassent, ne traderer Judæis.* Arma autem, asserente Bellatore inter Apostolos maximo, *militiæ nostræ non sunt carnalia, sed divinitus valida, ad destructionem munitionum, ratiocinationes evertendo, omnemque sublimitatem, quæ sese extollit adversus cognitionem DEI, & in captivitatem redigendo omnem cogitationem ad obediendum Christo, 2. Cor. X, 4.* quibus armis quod omnis vis & eruditio gentilium cedere coacta fuerit, miraculi maximi loco, merito habuerunt antiqui Ecclesiæ doctores. Theodoret. in lib. de cur. Gr. aff. Clem. Alex. l. 6. Stromat. f. Augustin. C. D. 22, 5. Euseb. Demonstr. Evang. p. 135. seqq. Isid. Pelus. Epist. 4, 27. seqq. Greg. M. Moral. in Job. 1, 18. IV. Denique cum vicissitudo proprium sit Imperiorum *ωάδ*, quibus & Cicero apud Augustin. de Civ. D. 22, 6. mortem tribuit, quam quidem locutionem & alii boni scriptores amant apud Ampliff. Bœclerum in not. ad Vell. 2, II. 3. & Programm. II. sola hæc civitas est æterna, solum hoc Imperium manet immortale: quod Danieli ostensum fuit: *videbam, inquit, visionibus nocturnis, quod ecce cum nubiibus cæli similis filio hominis veniebat, deinde usq; ad antiquum dierum pervenit, ut sisteretur ante eum. Et huic datus est dominatus, gloriæq; ac regnum, ut omnes populi, nationes & linguæ ei serviant: cujus dominatus, dominatus est perpetuus, qui non præterit, & regnum ejus (regnum) quod non corrumpitur.* v. S. Iren. 4, 37. n. 22. S. Justinum M. in Dial. cum Tryph. p. 191. seqq.

§. II. Ex hisce consequitur, Christum, dum in terris versaretur, non habuisse regnum temporale, neque potestatem civilem exercuisse: *quod conantur probare non pauci* (verba sunt M. Ant. de Dom. l. 6. de Rep. Eccles. c. 1. n. 13.) *ex antiquioribus canonistæ puri, & ex modernis Theologis leviores, qui veram & propriam regiam, qualis est in terrenis regibus, potestatem, conantur in Christo collocare: idq; probare se putant imprimis ex Scripturis; deinde ex SS. PP. dictis.* Horum omnium colligit argumenta Paulus Comitotus Jesuita (in libello cont. 7. Theol. Venet.) *vir satis farraginosus; qui multa solet congerere, sed pauca digerere.* Is, pro pleniori

suo farcimine. 20. excogitavit, & superaddidit rationes, ut Bellarminum (de Rom. Pont. 5, 4.) arbitror, contrarium sentientem, & docentem, confutasse videretur & superasse. Socium eodem tempore, & in eadem causa habuit Sermarinam Servitam, qui fuse & ipse scripsit contra Venetos, de regno Christi temporali: & Bozius omnium insulsiſſimè. Et quamvis unus Bellarminus (ibi ubi sup. c. 5.) satis sit ad illos compeſcendos, apud quem præcipua eorum argumenta optimè soluta videntur jam; ne tamen nimium sapere sibi ipsis videantur, integram adversus eos hic absolvam questionem & c. conf. Recognitionem Bellarmini. καὶ ταύτα μὲν ταύτη tum de subleſta, tum de vera sententia in negotio regni Messiani: progredimur nunc ad II. Articulum, in quo dispicietur, an & quatenus error iste, quo Apostoli etiam & discipuli Christi illaqueati tenebantur, fuerit tolerabilis?

ARTIC. II.

§. 1. Producemus autem primo præcipua dicta, quæ errorem discipulorum Christi palam faciunt. Post inquisitionem de persona sua institutam, cepit Jesus ostendere discipulis suis: quia oporteret eum ire Hierosolymam: & multa pati à senioribus & scribis, & principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere. Et assumens eum Petrus, cepit increpare illam, dicens: Propitius Tibi sis Domine, non contingat tibi hoc. Qui conversus dixit Petro: vade post me Satana: scandalum es mihi, quia non sapis ea, quæ DEI sunt, sed ea quæ hominum. Matth. XVI, 21. seqq. Idem Evangelista hæc habet cap. XVII, 21. seqq. Conversantibus autem illis in Galilea, dixit illis Jesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum: & occident eum, & tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer. Cumque eadem c. XX, 10. repetiisset, mater Johannis & Jacobi nihilo secius de honoribus principalibus filiorum est sollicita. Apud Marcum IX, 31. 32. legimus: Docebat autem discipulos suos, & dicebat illis: quoniam filius hominis tradetur in manus hominum, & occident eum, & occisus tertia die resurget. At illi ignorabant verbum, & timebant eum interrogare. Lucas XIX, 34. de hac ipsa re dicit: Et ipsi nihil horum intellexerunt,

runt, & erat verbum istud absconditum ab iis: & non intelligebant, qua dicebantur. Neque tamen post mortem & resurrectionem hoc mysterium satis capiebant, hinc nata est ipsis & proposita Regi suo quæstiuncula Actor. 1, 6. *An in hoc tempore restituis regnum Israël?*

§. 2. Audiemus nunc aliquos ex antiquis & recentioribus Interpretibus supercitata loca. Ut mittamus S. Hilarii interpretationem can. 16. commentar. in Matth. & huic supparem Chrylogi homil. 27. de scandalo tollendo: nec non Theophanis homil. 22. de abnegatione sui ipsius, & sequela Christi p. 141. tanquam nimis subtilem; Hieronymus in c. 16. Matth. increpationem Petri nimio ardori & amoris affectui tribuit, postea verò in explicatione verborum: vade post me Satana, ferè sese torquet; neque id in Hieronymo mirum, qui alibi quoque in defensione T. 9. Op. Petri nimius est, sed quem, licet ætate junior, iudicii tamen acumine haud inferior, Augustinus, gravissimis rationibus refutavit: ansam contentioni dedit locus Gal. 2, 11. qui volet, legat ipsas epistolas Aug. & Hier. amœbeas T. 2. Oper. Hier. p. m. 336. seqq. & præter Interpretes Epist. ad Gal. è Junioribus, Baron. Spondan. ad Ann. Christi 51. Bellar. T. 1. l. 1. de P. R. c. 16. §. 5. obj. Leo Allatius in expedienda difficultate istius controversiæ de disceptatione Petri & Pauli quo se vertat nescit, *heret, non capit, non intelligit*, tandem *Ecclesiæ Rom. iudicium, dominiumq; cui jam inde à baptismatis undis sese mancipatum esse ait, expectat*, in paradoxo opere de Perp. Cons. Eccl. Occid. & Orient. 1, 5, 21. contra quem suo tempore, si Domino placuerit, vindicias pro Exercitatione de Ecclesiæ Græcanica hodierna, adornabimus. In c. XVII. Matth. idem Hieronym. scribit: *Porro quod contristantur, & contristantur vehementer, non de infidelitate venit: alioquin scierant & Petrum esse correptum: quare non saperet ea quæ DEI sunt, sed quæ hominum: verum quia pro dilectione Magistri nihil de eo sinistrum & humile patiuntur audire.* In eundem locum Matth. 16. Chrysostomus ita: *Τὸ πρὸς τῆς ἀναστάσεως μυστήριον ἀγνοῶν ὁ πέτρος, ἰλεῶς σοι φησι, κύριε. τὸ γὰρ ἀποκαλύφθην αὐτῷ ὁρθῶς ὁμολογήσας, ἐσφάλη ἐν οἷς ἐκ ἀποκαλύφθη αὐτῷ. Resurrectionis mysterium ignorans Petrus, absit, inquit, à te Domine. Ni-*

spiritum id rectè confessus, quod revelatum ipsi fuerat, in iis erravit, quæ revelata non erant ipsi: Id. ad v. 23. ὅτε μὲν ἐλάλησεν ὀρθῶς ὁ πῶτος ὁμολογῆσας αὐτὸν, ὅτι θεὸς εἶναι μακαρίζει αὐτὸν ὁ χριστός. ὅτε δὲ ἐδειλίασε, καὶ ἐκ ἠθέλεν αὐτὸν παθεῖν, ὅτι πληξεν αὐτὸν. λέγων, ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ. quæ verba Petr. Possinus

T. 1. cat. Gr.
PP. in
Matth.

Jesuita Tolosanus, ita reddidit: Tum quidem est rectè locutus Petrus, & confessus ipsum DEI filium, gratulatur ei Christus, & beatum predicat. Quando verò ignavè degeneravit & metu ad mentionem tormentorum exhorrescens, revocare Christum à patiendi consilio voluit, is eum objurgavit severius, dicens: vade post me Satana. Conf. quæ in eundem sensum T. 2. cat. Gr. PP. in Matth.

ex Chryl. Marco Asceta, & Basilio adducit Interpres Nicetæ Balthaf. Corderius. Id. ad c. XVII. Matth. v. 23. contristati sunt vehementer: μὴ δυνάμενοι νοῆσαι τί ἔστιν αὐτῆ (ἀνάστασις) καθὼς φησιν ὁ Μάρκος, ὅτι ἦσαν συζητῆρες τί ἔστι τὸ, ἐκ νεκρῶν ἀναστῆναι, καὶ γὰρ κτ' θείαν οἰκονομίαν ἐκρύπτετο ἀπ' αὐτῶν γνώσις τῶ ῥήματος ὡς ἀτελεσέων ἔτι. ne quid esset quidem resurrectio intelligere valentes, juxta id quod Marcus ait: ignorasse illos verbum, & inter se quæstivisse, quid tandem esset resurgere à mortuis? Divina si quidem erat providentia, quod occultabatur ipsis hujus verbi vis adhuc imperfectioribus. Id. in T. 2. Cat. p. 579. Καὶ μὴν εἰ ἠγνόουν, πῶς ἐλυπήθησαν; ὅτι ἔ πᾶντα ἠγνόουν. ἀλλ' ὅτι μὲν ἀποθανεῖται ἠδὲσαν συχνῶς ἀκρόντες. ὅτι πρὸς δὲ ἦν ἔτι ὁ θάνατος, καὶ ὅτι ταχέως λυθήσεσθαι, καὶ μυρία ἐργάσεσθαι ἀγαθὰ, τῶτο δὲ ἐδέπω ἠδὲσαν σαφῶς. ἔδὲ ὅτι πῶς ἔστιν ἡ ἀνάστασις. At si ignorarunt, quomodo contristati sunt? quia non omnia ignorabant: Sed moriturum quidem norant, id crebro audientes, quæ verò tandem hæc esset mors, statimque finiendam, ac innumera bona effecturam nesciebant, & nec dum liquido illis constabat, ne quidem quid ipsa esset resurrectio.

c. 9, 32.

Ad eundem modum Theophanes Cerameus, quem Franc. Seorsus Jesuita Panormitanus primus edidit, homil. 22. p. 138. postquam Salvator noster Jesus sanctis discipulis ea, quæ circa crucem & passionem ventura erant, prædixisset, ὁ κορυφαῖος τῶν μαθητῶν ἔτι τῶν ἀπορητοτέρων ἀμύητος ὢν, διὰ τὸν πρὸς τὸν διδάσκαλον πόθον, τὸ παθεῖν τῶτο ἀπηνύχου, πρὸς τὸ πλῆθος τῶν ἐπομένων ὁπισθεφείς, ταύτην ἀφίησι τὴν φωνήν. ὅσις θέλει ὀπίσω

μὲν



μὲν ἔλθειν ἀπαρνησάτω ἑαυτὸν. *discipulorum coryphaeus secretioribus nondum initiatus mysteriis, & magistri sui affectu permotus, passionem ab eo deprecabatur; cujus temeritatem Dominus acriter cum reprehendisset, ad sequentium multitudinem conversus hunc sermonem habuit: si quis vult venire post me, abneget seipsum. Paria habet Hugo Cardinalis, nisi quod in Marcum, c. 9. v. 31. et Beda annotet: Quod per figuras saepe loquebatur eis: putabant hoc figurative dictum. Idem Hugo ad Luc. 18, 32. ait: Assignatur triplex causa in glossa, quare non intellexerunt. prima est: quod adeo tenerrimè illum diligebant, ut nec eorum aures mortem ejus audire sustinerent. Secunda: quod Deum esse credebant: ideo vix poterant credere eum moriturum. tertia: quod putabant eum loqui parabolice juxta morem regionis.*

S. 3. In Harm. Evang. Chem. Lys. c. 86. in Matth. c. 16. legimus. *Etsi solus Petrus hic introducitur loquens, tamen eandem fuisse mentem omnium ex eo patet, quod Marcus testatur, Christum suos discipulos intuitum increpassè Petrum. Communis enim hic fuit omnium error, quod mundanum regnum Messiae somniabant. - - hic Petrus ignorans adhuc necessitatem crucis, putavit dedecori futurum Messiae, quem ipse modo DEI filium esse professus fuisset, si is sacerdotibus subjiceretur, & ab ipsis interficeretur. posthac utilia complurcula monentur de hoc lapsu Petri, & sapientiae carnalis pernicioso Magisterio. In cap. Matth 17. Marc. 9. Luc. 9. hæc confert. Apparet ex circumstantiis, quod Christus aliquantisper voluerit in Galilea versari, ut sic occasionem haberet, rectius discipulos instituendi. - - Admirationem non immeritò nobis præbent Apostoli suo stupore, quod verba, quibus Christus passionem suam prædicebat, & quæ clarissima erant, non intelligebant. - - Ratio hujus ignorantiae nulla alia, quam hæc fuit, quod hæc verba præconcepta ipsorum opinioni repugnarent. - - Præter crassam hanc Apostolorum ignorantiam, notemus etiam supinum illum & reprehensione dignum ipsorum torporem, quo cum sermones Præceptoris non intelligerent, ipsum interrogare timerent: quem tamen totum in eo esse animadvertabant, ut plena veritatis cognitione ipsos instrueret. Atque alias saepe numero inquisiverunt de rebus nihil ad rem pertinentibus, & hic præpostero quodam pudore, & metu præcepiti,*
non

non interrogant de illis rebus, in quibus prora puppisq; salutis ipsorum consistebat.

§. 4. Maldonatus ad cap. Marc. 9. v. 32. mentem suam his verbis aperit: *Mihi non solum mysterium mortis videntur ignorasse, sed illud etiam, quomodo moriturus esset, cum tam sepe maximeque paulo ante, tam propè regnum suum esse dixisset, ut essent nonnulli ex iis, qui aderant, qui morituri non essent, nisi illud prius viderent, nondum intelligentes, regnum illius non eo vivente, sed moriente, resurgenteq; venturum esse. Intellexerunt ergo, quid & moriendi & resurgendi vocabulum significaret, eumq; & moriturum, & resurrecturum credebant, ideoq; ut ait Matth. contristati sunt. Nam etsi futurae resurrectionis fides mortis dolorem allevabat, tamen maluissent non mori eum, quam mortuum per resurrectionem recuperare. Hoc E. erat, quod non intelligebant, quomodo hæc verba, quibus se Christus ad moriendum dicebat ire, cum illis convenirent, quibus tam sepe dixerat, regnum suum appropinquare, atq; ideo dicuntur ignorasse verbum. Quibus consentanea sunt, quæ in eundem Marc. locum commentatur Cornel. à Lap. Ignorabant verbum: quomodo sc. & quæ de causa Christus esset moriturus, ac quomodo hæc ejus verba de morte sibi instante consentirent cum iis, quibus sepe eis dixerat, regnum suum appropinquare: nam aliqui Apostolos intellexisse & credidisse Christum moriturum, patet Matth. 17, 23. ubi dicuntur ex hoc Christi de morte sua verbo & oraculo fuisse contristati: Nisi malis eos Christi mortem ignorasse, quia de ea hæsitabant & fluctuabant, ob diversa Christi dicta in speciem contraria, ac proinde eos inclinasse potius in partem mitiorem, sibiq; gratiorem, scilicet Christum non moriturum, hoc enim ipsi optabant, & verum esse cupiebant: quia amantes sibi somnia fingunt: persuadere E. sibi conabantur, verba Christi de morte sua alium habere sensum occultum, esseq; mysticè accipienda, non ad literam uti sonabant. Sebastianus Barradius nihil hic novi habet. Nec abiit in diversum C. Jansenius in Matth. 16, 21. scribens: Id est, cæpit non involucris verborum, ut antea Joh. 2, 19. c. 3, 14. sed claris verbis eis predicare passionem suam. Ad Actuum Apostolicorum c. 1. v. 6. hoc notat Cornelius Cornelii à Lapide: Hic communis Judæorum (uti jam est omnium) avi illius fuit error & c. Quo circa Christus*

ad

ad quæstionem eorum, directam non dat solutionem, quia ejus ad-
 huc erant incapaces, sed retundens eorum curiositatem indirectè &
 tacitè eam solvit, nimirum venturum Spiritum S. ut intrepide re-
 gnum Christi spirituale per fidem in Judæa, & Samaria, totoq; or-
 be propagent. Dignus est locus Justini M. vel alius ejusdem scri-
 ptoris vetusti q. 112. ad Orth. qui abscribatur, quem Cornelius et-
 iam fortassis in animo habuit, Quæstio proponitur: Si regnum
 Israelis Apostoli putaverunt esse gloriam & delicias, & laxamen-
 tum terrenum, sicuti nonnulli dixerunt: quare Dominus de hoc ab
 illis (Act. I, 6.) interrogatus non solum errorem illorum non corre-
 xit, verum etiam ignorantiam eorum astrinxit, dicens illis: non
 est vestrum nosse tempora &c. porro responsum hoc constabit illo-
 rum opinionem. R. Et hoc ipsum ex eis unum est, quæ ab Apostolis
 ante adventum Spiritus S. cognosci non potuerunt pro eo atque di-
 ctum est: multa habeo quæ vobis dicam &c. ubi verò à Spiritu S. e-
 docti sunt illud: Et ventrem & escas Deus abolebit: ex opinione
 Judaica ad sensum translati sunt statui eorum qui ex mortuis re-
 surgunt convenientem &c. Hoc E. non vestrum est nosse tempora:
 speciem non habet per imprudentiam conceptam interrogantium opi-
 nionem confirmantis: sed in ambiguo interrogantes de utroq; &
 tempore scil. & modo opinionis conceptæ, relinquentis.

§. 5. His præmissis, expendendæ erunt aliquot quæstiones,
 quæ ad ulteriorem hujus argumenti illustrationem facere vide-
 buntur. Et primo quidem quæritur de causis spissæ hujus igno-
 rantia. Prima & quidem ex parte subjecti, est præconcepta, &
 altè nimis infixa opinio, ab antiquis accepta, de regno terreno.
 Optimè Harm. Chem. Lys. c. 134. Res certè admiratione digna,
 quod discipuli nihil horum intelligunt, cum tamen hic non prima,
 sed ad minimum quinta vel sexta vice Christus de re eadem concio-
 netur. Adhæc omnia fuerunt adeo plana & aperta, ut puer se-
 ptemnis intelligere potuisset. --- Hoc fecit carnalis ille intellectus
 de regno Messia. Occasione hujus hebetudinis, rectissimum in
 eadem Harm. c. 9. de nostris controversiis fertur judicium: Idem
 hodiè fit in multis Christianæ doctrinæ articulis, in quibus interdum
 ob præconceptas opiniones cæcutiunt etiam magni Viri, qui tamen
 ob sui evidentiam ab idiotis planissimè intelliguntur. Idem talibus

C

acci-

accidere potest in sacris; quod accidit in communi vita iis, qui coloratis utuntur conspiciis. Quaecumq; per illa intuentur, ea omnia eundem colorem induisse videntur, quo colore imbuta sunt conspiciis. Evenit hoc non tantum Pontificiis & Calvinianis, in illis articulis, qui inter nos & ipsos sunt controversi: sed etiam nostratibus quibusdam. Verissimè igitur elegantissimus Isid. Pelus. Epist. 4, 48. anticipatas opiniones & iudicia, vocat πάθος ἀργαλεώτατον καὶ δυσκόλως ἀναμοχλευθῆναι δυνατόμενον; malum gravissimum, quodque agrè expelli potest. Id. ep. 56. scribit. Ἡ ἐκ Φιλαρχίας, οἰμα, ἢ ἐκ περλήψεως, δύο δυσκαταγώνιστων παθῶν τὰς αἰρέσεις τελέχθαι. Aut ex ambitione, aut ex anticipata aliqua opinione, duabus expugnatu difficillimis affectionibus, haereses & sectas natas esse arbitror. v. quæ not. Doctiss. Jctus C. Rittershus. ex Galeno ad ep. 48. Id certè videmus usu venire apud Pontificios quam maximè, quod quidem eo frequentius & facilius apud ipsos accidit, quia nemini ex ipsis licet nostratium scripta legere, quin nec ipsum sacrum codicem scrutari, nisi prius Theologia scholastica probè imbuto, & veneno antiquarum consuetudinum, quas venerandum vetustatis Ecclesiasticæ nomen ementiri jubent, inebriato. Aliter Theodoret. vel quisquis est vetus scriptor. serm. 1. de cur. Gr. aff. ἀνδρῶν δὲ γε σωφρονέων ἴδιον, μὴ περλήψει δαλέυειν, μὴ δὲ ἔθεσι περσοδεδέσθαι παρῶεις, ἀλλὰ ζητεῖν τὰληθῆς καὶ τὸ χρήσιμον παρλαχῶθεν συλλέγειν. Sapientium virorum proprium est, præiudiciis non servire, neque consuetudinibus patris alligatum esse, sed veritatem querere & quod utile est ubicumq; colligere.

§. 6. Meretur insignis locus Augustini ut in gratiam adversariorum transcribatur, l. 2. de C. D. hoc modo exordientis: Si rationi perspicue veritatis, infirmus humanæ consuetudinis sensus non auderet obistere, sed doctrinæ salubri languorem suum, tanquam medicinæ subderet, donec divino adjutorio, fide pietatis impetrante, sanaretur, non multo sermone opus esset, ad convincendum quemlibet variæ opinionationis errorem, his qui rectè sentiunt, & sensa verbis sufficientibus explicant. Nunc verò quoniam ille est major & tetrior insipientium morbus animorum, quo irrationabiles motus suos etiam post rationem plene redditam, quanta homini ab homi-

homine debetur, sive nimia cæcitate, quæ nec aperte cernuntur, sive obstinatissima pervicacia, quæ & ea quæ cernuntur, non feruntur, tanquam ipsam rationem veritatemque defendunt, sit necessitas copiosius dicendi &c. Et tamen quis disceptandi finis erit, & loquendi modus, si respondendum esse respondentibus semper existimemus? nam qui vel non possunt intelligere quod dicitur, [adde quibus in Papatu non licet legere, ne dum intelligere] vel tam duri sunt ad veritatem mentis, ut etiamsi intellexerint, non obediant, respondent, ut scriptum est: & loquuntur iniquitatem, atque infatigabiliter vani sunt. Quorum dicta contraria, si toties velimus refellere; quoties obnixæ fronte statuerunt non curare quid dicant: dum quocunque modo nostris disputationibus contradicant, quam sit infinitum, ærumnosum & infructuosum vides. Certè dudum potuissemus adversarios nostros generoso silentio ulcisci: nisi tacere non oporteret; ne jam non verecundiæ, sed diffidentiæ esse incipiat, quod tacemus, & dum criminationes falsas contemnimus refutare, videamur crimen agnoscere: quibus verbis olim eloquentissimus & sanctissimus Cyprianus Demetrianum ethnicum allocutus est, conquerentem, quod bella crebrius surgant, quod lues, quod fames sevant, quodque imbres & pulvies serena longa suspendant, id omne Christianis imputandum esse. Agnoscis Spiritum Demetriani in Schefflero, & aliis τὸ πονηρὸν κόμμα τῶν ἐξ ἐναντίας redivivum? Anticipatis opinionibus quantum deferant etiam Calviniani, vel ut audire malunt, reformati, vel ex unico illo potest patescere capite, quod omnipræsentiam carnis Christi eam ob causam tantopere execrantur, quia, contra tot protestationes solenniter promulgatas, nihilominus monstruosam diffusionem, & expansionem, quam in cerebro suo præconceperunt nobis af-

P. I. fol. 2.



non immeritò putamus. conf. de præjudic. D. Dannhaw. Id. Boni Interpr. p. 38. Sed è diverticulo in viam.

S. 7. Utut autem gens Judaica semetipsam imaginationibus de Messia sæculari deluserit, videtur tamen scintillula aliqua veritatis emicuisse inter ipsos etiam Samaritanos; nam Joh. 4, 25. non muliercula tantum officium Propheticum Messiaæ agnoscit, sed etiam cives ejusdem sacerdotale munus non prorsus videntur ignorasse, dicunt enim v. 42. jam non propter tuam loquelam credimus: Ipsi enim audivimus & scimus, quia hic est verè Salvator mundi, Christus. Mentem Samaritanorum hoc modo exprimit S. Chrysostr. in h. l. *Σαμαρείται δὲ χεῖρὸς μαθηταὶ γεγονότες τὴν διδασκαλίαν κατέλειπον. Ευθὺς γὰρ ἐνόησαν, ὅτι τὴν οἰκισμένην ἐπισπάσσαθαί ἐμελλεν, ὅτι ἐπὶ διορθώσει τῆς κοινῆς ἦλθεν σωτηρίας, ὅτι ἐκ ἐν Ἰουδαίῳις μέλλει διακλιεῖν αὐτὰ τὴν πρῆνοίαν, ἀλλὰ πάντα χεῖρὸς σπεῖρειν τὸν λόγον. Ἀλλ' ἔχ' οἱ Ἰουδαῖοι ἔτως, ἀλλὰ ζητῶντες τὴν ἰδίαν δικαιοσύνην εἴησαν, τὴν δικαιοσύνην τῶ θεοῦ ἔχ' ὑπέλαβον. Samaritani ut Christi discipuli facti sunt, magistrum istam deseruerunt. Illico enim intellexerant, ipsum totum orbem terrarum asserturum, & ad communem omnium salutem advenisse, neq; Judæorum duntaxat finibus suam conclusuram providentiam, sed ubiq; gentium sermonem sparsurum. At non sic Judæi, sed suam justitiam querentes statuere, Justitiæ DEI non sunt subjecti. Claud. Guillaudus Bellijocensis, Theologus Gallicus, comm. in h. c. Joh. hic exclamat: *ἕπλεν ἔ' vero Christiano dignam testimonium, quo suam credulitatem declarant Samaritani, & Judæorum impiam incredulitatem coarguunt. Scandalosum hoc videtur esse (Flacii egregia est expositio in hunc locum) sapientibus hujus mundi, quod illi rudes & ignobiles homines audent de tantis rebus pronunciare, non expectato iudicio Pontificum Sacerdotumq; DEI, immo etiam planè contra ipsorum Canonem & decretum, quo hic lapis angularis rejectus fuerat. Sed hæc est voluntas DEI, ut omnes protinus veritatem caelestem amplectantur, non habita ratione probationis aut improbationis Pontificum, sacerdotum, potentum, aut sapientum hujus mundi. De quo etiam hodie cum Papistis litigamus. Illa igitur verba Joh. 4, 39. Ex civitate autem multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum**

v. Cat. Gr.
PP. in Joh.

bum mulieris, testimonium perhibentis: quia dixit mihi omnia quæ
 eunq; feci, illa, inquam, verba, Evangelista, juxta Guiliaudum,
 emphaticè pronunciat, & cum exaggeratione potentia verbi à cir-
 cumstantia & copia personarum facile credentium: qui ad unius
 mulierculæ, & non satis probe, multi illico, & quidem Samaritani,
 Evangelio crederent, Christumq; amplecterentur, quum qui & lege
 & Prophetis ad agnitionem ejus deducerentur, omnia recusarint.
 Hoc quasi mirantis est Evangelista dictum, (affero verba Thomæ
 Beaux-Amis Carmelitæ Theologi Paris. in Harm. Evang. p. 135. b.)
 quod isti tam infensi Israelitis, unius mulieris testimonio ad Christum
 adducti sint, induratis interim Phariseis. Hæc utinam attenderent
 Pontificii, neq; omnem in rebus Theologicis veritatem, concilio
 Pontificum, Cardinalium, & Prælatorum alligarent.

§. 8. Hæc autem cœcitas & pervicacia inde evenire solet,
 quando homines, quos Christus sua morte ex servitute humana,
 in libertatem juxta verbum suum vindicavit, mancipio & domi-
 nationi hominum sese dare, quam scripturarum magisterium se-
 qui malunt. Perspicue satis facit codex, quod Christus Discipu-
 lis non se mel exprobravit, de morte Messia loquitur: verum enim
 verò oraculorum illorum veritas cœco Phariseorum, sicut hodie
 capitolino, detinebatur carcere, pravisq; interpretationibus ob-
 scurabatur, ut eorum fulgor paucissimorum perstringere posset
 oculos: maxima igitur pars duces cœcos secuta, ibat via non
 qua eundum, sed qua itur, in devia & anfractus errorum. Con-
 victa demum à Christianis luce verbi clarissimâ, schola Judæo-
 rum posterior, coacta est agnoscere a ortem Messia: ideoq; duos
 sibi Messias commenta est, unum passionibus & morti obnoxium,
 alterum immortalem. Raschi utriusq; facit mentionem ad
 locum Isaia 24, 18. *Et erit, qui fugerit à facie formidinis, cadet
 in foveam: Et qui se explicaverit de fovea, tenebitur laqueo:* sen-
 sus est juxta R. Salomonem *הנמלט מחרב משיח בן יוסף*
הנמלט מחרב משיח בן דוד hoc est, qui gladio Messia filii
 Joseph (משיח בן יוסף) ereptus fuerit, incidet in gladium Messia filii Da-
 vid (משיח בן דוד) sed vid. Buxtorff. in Lex. & Synag. nec non Ch.
 Hackspan. ad Nizza h. p. 344. 352.

§. 9. Quemadmodum autem in crassis istis tenebris, quibus



universa propè natio Judæa obsessa erat, vel inter ipsos Samaritanas, radius quidam veritatis resplenduit: ita nullum est dubium, reliquisse sibi Dominum aliquos, licet oppidò paucos, qui germanam de regno Messia sententiam exactè cognorint, ex quorum censu fuisse judicamus Zachariam, Simonem, Hannam, aliosque Spiritus S. lumine collustratos heroes, quibus haud dubiè complures accedebant, quamvis haud pari & tanta fide instructi: quod Ecclesie DEI fatum probè observarunt ex Nostri illi, qui de Heroibus, Confessoribus, luctantibus & latentibus Christianis, ex caligine Papistica superiorum sæculorum, interim clarius, interim obscurius promicantibus, scripserunt.

§. 10. Accedamus nunc ad alteram causam hujus erroris, quæ mixtim, tam ex parte subjecti, quam objecti oritur. Apostoli erant carnales, carnem, & ea quæ hominum sunt, non autem Spiritum; & ea quæ DEI sunt, sapientes, quod Christus Matth. 16, 23. Petro oggesit: Objectum autem erat spirituale, mysterium à sæculis absconditum, rationi non ignotum modo, sed etiam inimicum, Judæis scandalum, gentibus stultitia. Mors Christi rectè occultum mysterium appellatur, ait Theodorus T. 1. Cat. Gr. PP. in Psalm. p. 189. ἐπειδὴ καὶ τὰς ἄλλας ἀπαύτας, καὶ μὲν τοὶ καὶ αὐτὰς δόξασόντες πρὸ τῆς τέλους ἐλάθανε: quandoque cum omnes alios, tum ipsos etiam Apostolos initio latebat: & adducit loca Matth. 20, 16. Luc. 18, 34. 1. Cor. 2, 7. Col. 1, 26. Benè ad dictum Pauli 1. Cor. 2, 14. *Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus DEI*: Guilhel. Estius Prof. Duac. annotat: *in horum animalium numero adhuc erat Petrus, quando dictum est ei à Domino: Non sapis ea quæ DEI sunt, sed ea, quæ hominum sunt Matth. 16. Tales erant & cæteri discipuli Christi, ante acceptum Spiritum S. Is autem, juxta eundem Estium h. l. dicitur animalis, qui etsi jam credat in Christum & justificatus sit, tamen præ mentis imbecillitate non recipit altiora fidei mysteria: quod agrè supra ea quæ sensibus percipiuntur, assurgat.* Tales sanè erant tum temporis discipuli Christi lacte nutriendi, qui solidum cibum nondum concoquere poterant, quod ipsis non in hoc tantum mysterio accidit, sed, alias persæpe in rebus non tantæ sublimitatis: adeo ubique ἀδυναμία virium nativarum in nobis regnat, & ad cœlestia percipienda

enda nos impotentes reddit. Hanc eandem materiam præ manibus habens B. Gerhardus T. 6. L. de Min. Eccl. §. 218. & de Apostolis mentem suam expromens, hæc annectit: *An vero in prima sua ad Israelitas legatione, fermentum præconceptæ illius erroneæ opinionis de regno Christi terreno, præconio Evangelii commiscuerint, an contra speciali Spiritus S. directione, doctrinam Evangelii ab illo fermento puram auditoribus proposuerint, ex scripturis certè colligi nequit. Si vel maximè aliquid fermenti, & stipularum admixtum fuisse statuatur, id tamen saluti credentium per prædicationem ipsorum promovenda, haud quaquam obfuit, gratiæ divinæ beneficio caliginem illam sensim per uberiores Spiritus S. illustrationem dispellente, fermentum expurgante, & stipulas errorum admixtas, igne tentationis exurente.*

§. II. Sed progrediendum quoque est ad causas, propter quas Christus per aliquod tempus mortem & passionem suam Apostolos quasi celaverit. Tertius jam agebatur annus, ex quo vera lux mundi, orbi terrarum profundis obvoluto tenebris, radios prædicationis suæ affundere cœperat; demum verò post confessionem à Petro, suo & Apostolorum nomine factam, incepit Jesus ostendere discipulis, quod multa ipsum oporteret pati. Hunc scilicet sermonem tum locutus est *ωαρρησία*, apertè sive palam, quia ante hæc tempora tectius aliquanto, & latenter tantum passionem & resurrectionem insinuaverat. Joh. 2, 19. dixit: *Destruite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud* Joh. 3, 14. *Sicut Moses in deserto exaltavit serpentem: ita exaltari oportet filium hominis.* Joh. 6, 51. *Panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita.* Matth. 12, 40. *Sicut Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: Sic erit Filius hominis in corde terræ, tribus diebus, & tribus noctibus:* quod ipsum repetitur à Christo Matth. 16, 4. Hæc verò quasi ænigmatica erant: Jam verò disertis verbis passionem per circumstantias discipulis aperit. Harm. Chem. Lys. c. 86. Sed cur tam serò apertè & sine parabolis hæc talia apud discipulos professus est? similis ferè est hæc quæstio illi curiosorum interrogationi apud Calvinum Instit. 2, 11. 14. cur DEUS umbras non citius removerit, Filiumque ipsum exhibuerit? & huic suppari apud Scholasticos, an incarnatio convenienti tempore

pore fuerit facta? v. Becan. Theol. Schol P. 3. Tr. 1. c. 1. q. 10. Respon-
demus, voluntatem Divinam suas habere horas & moras. *Recta
enim eruditio* (mutuabimur vel inflectemus paulo verba Praefulis
Hipponensis ex opere de C. D. 10, 14. pr.) *per quosdam articulos
temporum, tanquam etatum proficere debet accessibus, ut à tempera-
libus ad aeterna capienda, & à visibilibus ad invisibilia surgeretur.*

§. 12. Dabimus autem pro modulo & captu nostro quas-
dam voluntatis Divinae rationes. Et primo quidem placuit caele-
sti Sapientiae suos discipulos *ὡς νηπίους*, tanquam parvulos comiter
ducere, fermentum superstitionum pharisaicarum, in quo toti hæ-
rebant, prius expurgare, animos præliminaribus quasi institutioni-
bus præparare, blandis parabolarum ænigmatibus demulcere, at-
tentos, & *ζητητικούς* reddere, nec mole vel difficultate discendorum
in exordio, vel post prima rudimenta, deterrere, & alienos à se &
disciplina sua, satis jam alias pro illo tempore, difficiliore visa, red-
dere. Non malè homo malus, Jesuita Maldonat. ad 16. c. Matth.
v. 21. scribit: *potest quæri, cur ex eo tempore potius, quam ante* (coepe-
rit scil. de sua passione palam prædicare) *causa in promptu est, quam*
& Chrysost. & Euthymius & Theophylactus indicant, quia ante non-
dum satis ab Apostolis, tanquam filius DEI naturalis aut cognitus,
aut publica confessione pronunciatus fuerat: & verendum erat, ne, si
de futura mortis suæ ignominia mentionem faceret, offenderentur, &
aut discederent (quod Joh. 6, 66. factum) *aut à cursu fidei retarda-*
rentur. Potuisset quidem Christus suos discipulos vi divina per-
cellere, vel supernaturalem hujus mysterii cognitionem uno actu
infundere; verum æterna illa Patris æterni Sophia adventui Spi-
ritus S. hæc & complura alia reservare cupiebat, quod §. 2. ex Ju-
stino M. jam jam tetigimus. Is enim est suavissimus Heri nostri
coelestis ordo, hæc pulcherrima in conversione & eruditione no-
stra methodus, ut nos nec violento modo, sed *בְּחִבְלֵי אֲדָמָה*
ובעבות אהבה funiculis hominum, & vinculis amoris ad se
trahat, Hos. 11, 4. Id quod suo modo contra Walenburchios no-
tari potest, in alio negotio contendentes, Christum non vi dis-
cursus, sed supernaturalis suæ auctoritatis, Sadduceos, resurre-
ctionem mortuorum negantes, redarguisse & percelluisse, quos
accuratè refutatos habes tum in polemosoph. D. D. Dannhaw.



p. 183. seqq. & Deliq. onirocr. XI. tum in disputat. 8. §. 74. de
convers. D. D. Musæi: neque etiam omnia simul & semel, uno &
eodem temporis articulo nos vult docere.

§. 13. Hinc succedit alia ratio, jam modo insinuata, profe-
ctum scilicet amat Dominus, dona sua, paulatim aliquid addendo,
magis commendat, simulq̄ve infirmitati nostræ consulit: is enim
solus omnium optimè novit, quid valeant humeri nostri, quid ferre
recusent. *Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare
modò: cum autem venerit Spiritus ille veritatis, ducet vos in omnem
veritatem*, inquit Servator noster Joh. 16, 12. *Disce* [monet ibi
Cornel. à Lapide] *Apostolos & Ecclesiam sensim in cognitione my-
steriorum fidei profecisse & crevisse, sicut solis lumen crescit à dilucu-
lo gradatim usq̄ ad meridiem. Unde Ecclesia progreditur quasi au-
roram consurgens, Cant. 6, 9. & quilibet fidelis sensim in fide & san-
ctitate proficit, juxta Prov. 4, 18. Justorum semita quasi lux splen-
dens, procedit usque ad perfectum diem. Non pigrabimur adscri-
bere locum S. Basilii, quamvis longiusculum, sed insignem, de pro-
fectu nostro, & gradu luminis, in cognitione mysteriorum san-
ctissimæ credulitatis nostræ, semper magis magisq̄; accendendi.*
Is igitur T. 2. Oper. de vera fide, postquam de imperfecta cog-
nitione nostra facundissimè disseruisset p. 388. exemplo Discipulo-
rum Christi id porro ostendit, scribens: *οἱ τινες μετὰ τὸ ἄξιον Φα-
νῆναι τῆς παρὰ τῆς κυρίας ἐκλογῆς, τῆς σὺ αὐτῷ διαγωγῆς, τῆς
παρ' αὐτῆς διποσολῆς, τῆς τῶν πνευματικῶν χαρισμάτων διανο-
μῆς, μετὰ τὸ ἀκῆσαι, ὑμῖν δεδοῖσθαι γινῶσθαι τὰ μυστήρια τῆς βασι-
λείας τῶν ἁερῶν, μετὰ τὴν τοιαύτην γνῶσιν, μετὰ τὴν διποκά-
λυψιν τῶν τοῖς λοιποῖς διπορήτων, ὅμως ὑπερῶν ποῖε περὶ αὐτὸ
λοιπὸν τῆς κυρίας τὸ πᾶσι ἀκῆσαι, ἔτι πολλὰ ἔχω λέγειν ὑμῖν,
ἀλλ' ἔδωκα δε βασιλεῖν ἄρτι. ἐπὶ τῶν καὶ τοῖσδε μαθαίνομεν,
ὅτι τοσῶτον μὲν οἶδεν ἡ θεοπνεῦστος γραφὴ τῆς διπογνώσεως τὸ
ἀπέφανθαι, τοσῶτον δὲ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως τὸ τῶν θεῶν μυ-
στηρίων ἐν τῷ παρῶντι ἀνεφικθαι, αἰ μὲν κτ' περιποπὴν ἐκάσῳ
περὶ θεοῦ τῆς πλείονος. *Qui quidem post illud, [sic habet La-
tina versio Græci elegantiam sermonis. hic non adæqvans] quod
idonei visi fuerunt, qui à Domino eligerentur, qui unà cum eo vi-
tam agerent, qui ejus Apostoli essent, qui promerentur accipere**

D

dono-

donorum Spiritus distributionem, postquam etiam audierunt. Vobis datum est nosse mysteria regni caelorum: post ejusmodi scientiam, post aperta ipsis, quae reliquis erant operta & arcana: tamen longo tandem tempore post, adventante jam passione, verba audiunt illa, adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Ex his igitur, atque hujus generis aliis colligimus, infinitum quiddam esse, quod de rerum divinarum cognitione divinae literae sentiant: neque ullo modo vires humanas, quamdiu hic in terris vitam ducimus, earum arcana penitus posse comprehendere, cum majoribus in dies singulos progressibus faciendis, aliquid novi assidue semper acquiratur. Et ob hunc, quem Deo debemus, in rebus sacris profectum, non omnis extensio articulorum fidei, tam odiosa esse debet, sicuti est nonnullis. v. Dannh. Salv. p. 410. 631. 666. seqq.

§. 14. Ex his, quae tum ex commentatorum, aliorumque Doctorum hominum, tum ex nostra mente posuimus, facile nunc dijudicari poterit, qualis & quantus fuerit Apostolorum & Discipulorum Christi error: crassus scilicet satis & enormis, sive Doctoris eorum perspicuitatem & diligentiam, sive oraculorum Prophetarum claritatem, sive discipulorum stuporem nimium, & alia id genus attendamus. Sim. Episcopus P. I. p. 313. contra absolutam reprobationem, irresistibilis conversionis necessitatem, gratiae insufficientiam, sive internam efficaciam, & obediendi impossibilitatem disputans, argumentum validum, ab obtestationibus, querimoniis, desiderii DEI, adversus Calvinianos intorquens, inter alia votum Christi adducit ex Lucae 19. v. 42. *O si vel tu [Jerusalem] nosse hoc saltem tuo die, quae ad pacem tuam faciunt; & subinde format exceptionem: Instabis, ait, Christus, uti dictum est, optavit, ut Hierusalem sciret, quae ad pacem suam faciebant: quod tamen impossibile erat, quia dicitur: sed nunc absconditum est ab oculis tuis. Resp. Ex ipsa Jesu Christi optationis formula apparet, Christum non de potentia, aut possibilitate sciendi agere, sed de actuali scientia: optat enim, non ut Jerusalem scire possit, quae ad pacem suam faciant, sed ut actu ea sciat, & ad animum advertat. Quod autem subjicitur à Christo: sed hoc nunc absconditum est ab oculis tuis, id non cogit ut dicamus, ea verba à Christo eo sine subjici, ut ostendat, istud tum impossibile populo*
 Hiero-

Hierosolymitano redditum fuisse. Nihil enim vetat, ista verba ita concipere, ut contineant nudam tantum enunciationem, qua Christus significat, populum ista aut nescire, aut nescire velle, quasi dixisset: sed proh dolor! ista, quæ ego opto, ut populus sciat, planè nescit populus, ac ne scire quidem satagit: atque hoc ipsum, quod ista tam supina profundaque ignorantia laboret, seq̄, ex ea expedire non studeat, cum tamen se possit & debeat, causa est, quæ me movet, ut doleam, & commiseratione serâ atque intima tangar super ea. Hoc sane sensu phrasis hæc accipitur Luc. 18, 34. Ipsi verò horum intelligebant, erantq̄: ἀεργοὶ ἄπιστοι, abscondita ab eis, nec cognoscebant, quæ dicebantur Luc. 9, 45. Ipsi verò ignorabant dictum istud, eratq̄, absconditum ab eis, & timebant eum interrogare de eo. Itaque Episcopus in Discipulis supinam reprehendit ignorantiam, quam exuere potuissent, si in id diligenter incumbere voluissent.

§. 15. Interim tamen error iste, utut crassus tolerari potuit eo quidem tempore. Nam I. antequam Dominus iter istud versus Hierosolymam meditaretur, nunquam apertè de passione sua verba fecit, sicut nec eos opinione de regno seculari afflatos, ante id tempus ullibi legitur refutasse: adeoq; tum quidem haud impossibiles fuisse videntur duæ istæ sententiæ, credere, Jesum Nazarenum esse regem Israel promissum, & Salvatorem mundi: eundemq̄ simul imperium, Davidico, aut Salomonico par, vel excellentius, suo tempore auspicatorum. II. Mysteriorum occultissimum nondum satis gnarus Petrus, itemq̄ gloriosæ transfigurationis Epoptæ, Jacobus & Johannes, ceteriq̄ve Apostoli, licet prius prohibere maluissent mortem magistri sui, ejusq̄ve denunciatione graviter affecti fuissent, postea tamen ei vehementius nullibi repugnarunt. Sed III. non ausi quidem fuerunt Doctorem suum de hac re liberius compellare, arbitantes, iudicio licet carnali, optimam & tutissimam esse ignorantiam, nescire velle ea, quæ Magister optimus eos nescire vellet. Unde IV. Si Christus naturali horrore commotus, mortem aversatus est, calicemq̄ve transferri maluisset, idq̄ve à Patre suo deprecatus est: quid miri, si ex infirmitate iudicii, sapientia carnis, & amore in Herum incredibili, optarint Apostoli, ne dira istiusmodi in caput tam sanctum, tam innocens



nocens ingruerent. V. In summam quidem fidei hypothymiam tempore passionis inciderunt, fide tamen non prorsus exciderunt, rebus secundioribus adhuc sese servantes. VI. Quamvis post resurrectionem Dominicam, adhuc turgerent persuasione potentatus civilis, quem cum regno Christi spirituali ἀσύγκλωστον esse nec dum vel ex seipsis intelligebant, nec ex Christi responsione Act. 1, 6. exactè perceperant, beneficia tamen mortis Christi citra dubium maxima esse, mortemque æternam averruncare tum quidem satis cognoverant. Unde VII. aliquid etiam piscatoriæ simplicitati condonandum, quam nec cum malitia, multò minus cum præfracta negatione conjunctam fuisse, omnes sine dubio concedent. Quantam quæso illa, quæ Joh. 3, 21. seqq. c. 14, 7. seqq. c. 16, 17. seqq. leguntur, arguunt animi simplicitatem? multa autem merentur ignoscantiam in hominibus simplicioribus, quæ in acutioribus nullatenus feruntur.

§. 16. Et hinc jam patescere potest, Apostolos in fundamentum fidei non impegisse. Quænam autem creditu dicantur, dicive debeant necessaria, quodnam sit fidei nostræ fundamentum, & qui articuli statuatur fundamentales vel non fundamentales, de eo jam non attinet dicere; repetere hæc jubemus lectorem ex accuratissima pertractatione D. D. Dannhavveri Nostri, in Christeid. p. 400. Anti-Christ. p. 137. Sigalion. p. 200. Styl. Vind. pag. 225. ubi prolixè totum hoc negotium explicatur.

§. 17. Ex dictis hæcenus amplius elucescet, in quantum aliquis error, gravis præsertim, & ad everisionem vel labefactionem fundamenti tendens, salva unitate Spiritus, tolerari queat. Repetenda vel excerptanda hæc erunt nonnulla, quæ apud D. D. Dannh. prolixius reperiuntur, quomodo sc. non solum ignorantia, sed etiam negatio unius alteriusve articuli fundamentalis, saluti aliquando non fuerit perniciofa. Sic autem ille ἀντίχειρ. p. 476. *Fidei objectum sunt articuli fidei qui creduntur, dicuntur τὰ μὴ βλέπομενα Hebr. 11, 1. sunt autem ista manifestata successivè, vel 1. ratione ipsius revelationis, quatenus paullatim lux illa crevit. Novit e. g. ex protevang. li prima mater Messiam fore θεάνθρωπον, & redemptorem mundi, ignoravit nascendum ex virgine, è tribu Juda, in Betlehem, quæ revelationes postea demum factæ sunt, vel 2. ratione*

tionē evidentē revelationis facta, quæ utiq; suos habuit gradus: agnitus fuit Articulus de Trinitate in Vet. Test. ex patefactionibus divinis, in creatione, eductione Ægyptiaca, benedictione solenni, Seraphino trisagio, locutionibus Dei de Deo: longè autem clarius ex apparitionibus in N. T. Incarnationis, theophaniæ Jordanicæ, missionis Spiritus S. mandati baptismatis. - - - Jesum Nazarenum esse Messiam, verum fuit simul ac nasceretur, sed ex resurrectione demum evidentissimè declaratum Rom. 1, 4. &c. Ex salve ad Reformatos p. 199. hæc vertimus: Si Nathanael mortem obiisset, antequam Jesum Nazarenum pro vero Messia agnovisset, nullatenus de salute ipsius fuisset dubitandum, quippe qui ab ipso Christo elogio veri Israelitæ mandatus fuit: quamvis non modo Jesum pro Messia non habuerit, sed prorsus negarit, inq̄uens: quid boni ex Nazareth potest venire? at verò si quis post resurrectionem, & luminare Evangelii de Christo ab Apostolis clarissimè accensum, adhuc ambigere, vel divinitatem Christi inficiari, aut ex pervicacia mentis, ipsum articulum ignorare voluisset, illi ipsi isthæc ignorantia perniciem æternam attulisset, & quæ plura alia sequantur. Certè si Apostoli, post factam illuminationem, obstinatè errorem Judaicum defendere allaborassent, nullo modo amplius heterodoxa ista persuasio fuisset tolerabilis.

§. 18. Et hoc est, quod Idem D. Dannhavverus in hodomor. Sp. Calv. p. 33. scribit: *Judicii defectus, in prima luctarum coitione, ab ignorantia invincibili capit excusationem: num tamen idem post tot admonitiones, ac evidenter monstratas ex falsis hypothesis consequentias, e. g. ex absoluto decreto causalitatem peccati in Deum relatam, pertinacibus hypothesis defensoribus indulgebimus? hic lex fidei prior.* Adducit post hæc calculum Andr. Riveti. Gemina habet p. 650. *Hæc secunda egressio (duce Calvino) adhuc in deceptis & fascinatis, tanto majore venia & excusatione digna est, quanto ignorantia tunc fuit excusabilior, utpote nuper demum è Babylonio carcere exierant, lux incrementa sua habuit, luctata cum crepusculo.* Consentit ex Veteribus Cyprianus epist. 63. p. 120. f. edit. Rigalt. *Si quis de antecessoribus nostris, ait, vel ignoranter, vel simpliciter hoc non observavit, & tenuit, quod nos Dominus facere exemplo & magisterio docuit; potest simplicitati ejus de indulgentia Domini,*



venia concedi, nobis verò non poterit ignosci, qui nunc à Domino admoniti & instructi sumus. *ibid.* ep. 73. p. 146. ad Jubajanum scribit: Ignosci potest simpliciter ignorantibus, sicut de seipso dicit Apostolus Paulus: Qui primò, inquit, fui blasphemus, & persecutor, & injuriosus; sed misericordiam merui, quia ignorans feci. Post inspirationem verò & revelationem factam, qui in eo, quod erraverat, perseverat prudens & sciens; sine venia ignorantia peccat: presumptione enim atque obstinatione quadam nititur, cum ratione superetur. Nec abludit Vincentius Lerinens. *common. c. II.* O rerum mira conversio! exclamat, Auctores ejusdem opinionis catholici; confectatores verò heretici judicantur. Absolvuntur Magistri, condemnantur discipuli: quem locum eleganti quasi quodam commentariolo illustrat Melchior Canus, Episcopus Canariensis l. 7. p. 353. Potest igitur in uno hæresis fieri, quod in alio tantum nævus fuit, quod etiam agnoscit Bellarm. T. 2. l. 3. de laicis c. 20. §. ad primam. Nec diffitentur idem Reformati: ita enim Amesius de cas. confc. p. 161. Qui inter Lutheranos pertinaciter defendunt ubiquitatem humane nature Christi, non possunt ab hæresi excusari: quia illa sententia directè evertit humanam Christi naturam. *conf. quæ ex Bergio affert D. Dannh. in Hodom. Sp. Calv. p. 652.*

§. 19. Cum igitur Doctores nostri totiens jam ad oculum demonstrarint, intercedere nobis cum Calvinianis dissensum fundamentalem, eumque per integrum amplius sæculum indies quasi magis magisque fuisse roboratum, mirum est, viros alioquin haud obesi naris, & eruditos, tolerantiam, mutuaque concordiam, tantopere urgere, & propè dixerim, extorquere velle. vide præter complura tum aliorum, tum præcipue Würtembergensium, scripta eximia, insigne opus Theologorum Darmstadrinorum, cui titulus: *Gründl. Ausführung & Widerlegung der Casselwechsel-Schriften*/ ubi quæstio de fundamentali dissensu multoties occurrit: conjugas licet accuratissimam D. N. Hunnii *diænesiv*, & novissimum Facultatis Theolog. in Incluta Acad. Witemb. scriptum. Non quidem sumus Irenomachi, nolumus tamen pacem componere, quæ veritati vim facit, v. D. D. Dorsch. *Betrachtung über D. Th. Zwingeri Predigt præd quod ipse etiam*
mo-

monuit Lydius in Act. Syn. Dordrac. p. 4. πάντων μὲν τῶν κατ' ἀνθρώπου ἀγαθῶν, ὑπόθεσις ὅτι καὶ κρηπίς ἡ ὁμόνοια, καὶ χρὴ μὴ δένει δίδοναι πολέμου καὶ μάχης ἀφορμὴν. εἰ δὲ πᾶς ὁσέβειαν παρὰ βλαπτομένην, ἢ ἰδὲ ἀδελφεῖς ἀδικημένους θεάσαιο, μὴ πρῶτον τὴν εἰρήνην τῆς ἀληθείας. Suffragium est Isid. Pel. ep. 3, 284. *Et si humanorum omnium bonorum seges ac velut fundamentum concordia est, neq; committere quisquam debet, ut bello & pugna ansam alicui porrigat: tamen si quid incommodi pietati importari, aut imbecillibus injuriam inferri conspexeris, cave ne pacem veritati anteponas.* conf. ep. 436. & Rittersh. notata ibidem.

§. 20. Tria autem sunt, quæ maximè suspectam reddere possunt istam vulgo quæsitam partium conciliaturam. I. est, quod adversarii nihilominus hypotheses suas mordicus tuentur, & licet videri velint, quasi aliquid remittere, & nobiscum loqui & sentire cupiant, apparet tamen eos antiquum obtinere, & de industria ad fallendos incautos & simpliciores, mentem suam tantummodo velare, non mutare. II. est, quod gravissimarum nos insimulant hæresium, nescio an suis & J. Dallæi, Viri doctissimi, adversariis, hæc probare possit David Blondellus, in præfatione apolog. Dallæanæ de Gratia univers. adv. Frid. Spanhem. scribens: *se se Ecclesias illas, quæ Lutheranæ vulgò audiunt, ut ut navis non careant, catholice, cui certa salus promissa est, nobilia & vivida membra reputare.* Cum gratiis acceptamus ab insigni viro, hoc, quamvis non sine injusta labis aspersione, encomium: sed an illud possit consistere cum atrocissimis aliorum accusationibus, nondum videmus. Nec est, ut aliquis dicat, olim duntaxat, rigidiores Calvinianos dicam tot nefandarum hæresium nobis impegisse, eos hodie longe mitius sentire: esto, quidam non tam inclementer de nobis censeant: En tamen tibi Professor Francof. ad Od. Grebnizium, qui quidem templum Irenes extruere voluit, ubiq; verò hostilem animum, & acerbissimum in nos odium prodit, is, inquam, in disp. inaugurali, ante 3. vel 4. annos præterpropter habita, hæc in nos evomuit: *Ab oralismo editus (ubi quæsitissimus) triplicem hæresin, recentiore auctam, reducit: Arianismum; Nestorianismum; Eutychianismum; Schvvenckfeldianismum. Quam in rem processit jam plus satis; ab omnipresentia ad omni-*

omnipotentiam, omniscientiam, aliaque idiomata divina, cum divina natura eadem. Ea propter quia Ubiquetismus (quo corpus à nobis statui infinitum essentia & substantia sua mentitur) infert tum Deum creatum, tum duas personas in Christo, indeq. duos Christos, tum humane naturæ conversionem in divinam; tum denique quatuor SS. essentia divina personas, igitur evertit & abnegat verum Deum, SS. Trinitatem, & Christum. v. ib. sect. I. §. 4-5. sect. 2.

§ 10. Vides, quam honorificè homo iste de nobis loquatur: nonne his incentoribus Lutheranismus meritò videtur expelli debere ex Electoratu Brandenburgico? III. est, quod sub specie amicitia & fraternitatis, Lutheranos ditionibus & olim expulerint, & etiamnum hodie exire jubeant: quæ de re Redonatus Lutherus, L. Hutterus, civis quondam Ulmenfis, in Concordia concordia, præter complures alios, vidend.

§. 21. His ita stantibus, & si quis reliqua quoque momenta animo suo reputet, eadem propè spe polorum cœlestium unionem, quæ reconciliationem partium expectare poterit, ut loquitur non nemo. Quamvis Deo non sit impossibile ullum verbum, qui, cum solus dominium obtineat in animos hominum, caliginem quoque eorum, divina sua gratia dissipare, deviantesque iterum in nostrum ovile reducere potest. Multum hodie multi conantur & moliuntur, præsertim laboriosissimus Duræus, de quo & ejus conatu Arnold. Poelenburg. Arminianus ad Joh. Pesserum ita judicat: *Vir apud Scotos non incelebris Job. Duræus hoc idem opus aggressus est; sed partim ille pacis auctor, judicio quorundam præstantium Virorum, haud satis æquus fuit, partim vehementius oblitabantur Theologi Lutherani, inprimis Argentinenses & Svedi, qui suam sententiam à Synodo Dordracena in Belgio explosam damnatamque querebantur. Quæ quidem perjusta fuit accusatio, quia haud dubiè peccarunt Dordraceni Patres, qui flagranti contentionum aestu percussi, id ausi sunt, quod à Christianismi primordiis nulla Synodus est ausa. epist. Vir. Er. & Præst. p. 958.*

§. 22. Ex eo autem præcipuè fundamento nonnulli tantopere coalitionem partium svadent, ut hac ratione junctis phalagibus, adversus externam vim hostis communis eò tutiores esse possimus: cujus consilii arcana cum alii in apricum producerint;

nos

nos Lutheranis omnibus tantummodo inculcamus nobilem locum Isidori Pelusiota, quem legimus ep. 5, 143. παρά Φυκλέον, μή ποτε θάλερω κατὰ τὰς ἑτέρας συμπράξεις, ὅπως δόξωμεν ἐνός ἐχθρῶ ἀπαλλάττεσθαι, ὕστερον καὶ αὐτοὶ ἀλώμεν τῷ ἰσχυροτέρῳ ἀπὸ τῆς ἡμετέρας συμμαχίας γεγεννημένῳ. Cavendum, ne unum pro alio committentes, ut videamur unum evadere inimicum, tandem ipsi capiamur ab eo, qui nostra fortis redditus est societate.

§. 23. Utinam verò interim οἱ μεσάζοντες in genere, paulo altius expenderent, omnes, quotquot veritatis in ἀτόμῳ consistentis ratione non exacte habitā, consilia istiusmodi agitarunt, mitissimè dicam, imprudentiæ suæ poenas palam luisse, tum quod vani & irriti fuerunt ipsorum conatus, & nixii labores, juxta gravissimum Megalandri Lutheri judicium, quod extat T. 7. Jen. in comm. Ps. 110. p. 318. b. ed. al. 325. a. his verbis: Es sahen wohl ietzt etliche Klüglinge an zufflicken/ wollen der Sachen rathen/ und den Hadder schlichten/ geben für/ man solt auf beyden Seiten weichen und nachgeben. Die lassen wir zwar machen/ und versuchen/ was sie können/ gönnen ihnen der Müh wol/ werden sie aber den Teuffel fromm/ und mit Christo eins machen/ so sind sie die ersten. Ich halt aber/ es sey mit solchem Glückwerck eben/ (wie Jesus Syrach am 22. sagt) als wann man Scherben wolt zusammen flicken. Und sind zwar bereit der Schuster viel gewesen/ so sichs unterstanden/ aber auch umsonst gearbeitet/ und beyde Drat und Stich verlohren. In andern Sachen/ was unsers Ehrens ist/ oder Ceremonien/ und dergleichen äusserlich Ding betrifft/ da mag man sich vergleichen und flicken was man kan. Aber was den Glauben und Reich Christi belangt/ da man seinen Scepter will beugen/ und ungerade machen/ da will er kein bessern noch flicken haben/ und ob man sichs unterstehet/ so machet mans nur damit ärger/ daß mans gar verhudlet; denn diß Scepter soll und muß ganz gerade bleiben/ ohn alle Brüche und Lücke/ als die Regel und Maß/ darnach man glauben und leben soll. hucusque B. Lutherus: tum quod non apud unam tantum partem in odium incurrerunt: tum quod non leve detrimentum Ecclesia orthodoxa per illorum scripta & consilia accepit. Multi sunt per Galliam, (exscribo verba Justi Pacii, hominis Pontificii ad Simpli-

E cium

cium Verinum, h. e. Cl. Salmasium) per Germaniam, per unitas Belgii provincias, per alias mundi plagas, qui D. H. Grotio acceptum referunt, se per gratiam DEI vel conversos, ac è tenebris, in quibus habebant, ereptos, vel in fide magis esse confirmatos. Dies certò docuit & experientia, his ex principiis factum esse, ut nostratum numerus decreverit, multitudo autem errantium utrinque auèta fuerit. Idque etiam unicè agunt, quotquot ex Papæis concordia illicito nostrates inescare volunt: fumos vendunt, & imperioribus imponunt Thomas Henrici, quem tanquam hyænam ab ovili Christi brevi sed robusto pede depulit D. Dannhavverus nosster: nec melioris commatis est meditata concordia Jac. Masenii Jesuitæ, cujus examen promisit D. Musæus: Fr. Augustin. Gibbon de Burgo, Hibernus, Th. D. & Prof. Erfurtenfis, merces suas etiam nimis cito venales exposuit, quasi jam ad modum & formam nuperi conatus Rintelensis, pax sanciri possit inter nos & Papæos: ex illo enim cœtu nulla alia pax est speranda, nisi fœda, quæ nos sub jugum mittere, & in ditionem Romanam traducere studet. Stat enim Romana curia, sicut Marpesia cautes, corrigi, flecti, emolliri nescia. Qualem conciliationem, vel errorum depositionem expectabis ab iis hominibus, qui apud D. D. Calixtum in Resp. adv. Theol. Mogunt. §. 126. fatentur; *omnes Prælatos & Doctores Germaniæ catholicos, Sacramenti votique nexu se Rom. Pontifici devinxisse, vitæ amq; & sanguinem malle, quam vel tantillum de fide Romana deperdere.* Et superiore & nostro sæculo semper requisita fuit reformatio, à capite Ecclesiæ Romanæ ipso, Pontifice Maximo, arcessenda, quod cum Simplicius Verinus urgeret, respondit Pacius: *Nimirum ut abscisso capite, reliqua membra corruant* §. 38. Manet certè Romana irreconciliabilis, rectè censente Josepho Hallo, Episcopo Anglicano, longèq; rectius, quam judicavit Guil. Forbesius, Episcopus Edenburgensis in Scotia, in cujus considerationibus modestis & pacificis, nimis periculose Pontificiis multa conceduntur, & contra Protestantes asseruntur; hederam operi posthumo suspendit alius Anglus in Præf. Papæis quam Protestantibus ferè æquior: Breviter, stante Vicedeatu Papæ, collabuntur omnia, quæ pro conciliatione à nonnullis extruuntur.

§. 24. Verum satis diu in his immorati sumus: brevibus autem sententiam nostram adhuc semel proponimus: veritas est unicum illud & optimum medium, ad quod tum in dijudicandis, tum componendis controversiis attendente debemus: quam ante suam à Græcis ad Papæos secessionem, valde commendavit Nicænus Episcopus Bessario, in Synodo Florentina, Cardinali Juliano hunc in modum respondens: *μεσότησα δὲ ἄλλην ἡμεῖς ἔχουμεν, εἰ μὴ τὴν ἀλήθειαν. ἔπει γὰρ ἔχουμεν τὴν ἀλήθειαν μετ' ἡμῶν, αὐτὴν ἔχουμεν ἡμεῖς καὶ μεσότησα, καὶ ἑτέρας ἔδεσόμεθα. ἔπει ἔδεσόμεθα πότε δεῖν κρεῖττονα τῆς ἀληθείας μεσότησα.* Hoc est, ex interpretatione Rob. Creyghthoni: p. 119. *Medium aliud nec foras attulimus, nec domi unquam usurpavimus præter veritatem: Et si veritas à nostris partibus constabit, nobis æternum erit medium, nec de alio sollicitabimur: Siquidem terrarum orbis præstantius hætenus nec protulit, nec in posterum expediet: Quam responsionem ἄριστον Σπυρίδισμα, optimam ratiocinationem vocat Sgyropulus, homo non tam contemnendus, uti quidem mordax Jesuita Ph. Labbe putat, in Synopsi Historica omnium Concil. p. 248. Quid L. Allatius contra eundem Sgyropulum sit præstiturus, adversus quem & Creyghthonium exercitationes se editurum minatus est in nupero scripto de Synodo VIII. Photiana p. 484. arbitratu orbis eruditus. Adjicimus quasi corollarii loco L. Danei dictum, *Nullus, inquit ille, est levis error in iis, qui Christiani articuli vocantur, proleg. ad Aug. de hæres. p. 8, 9.* Utinam vero Dni. Reformati media cœlitus ad sancendum concordiam consecrata, & à nostris totiens commendata, serio amplecterentur, vel, mitius cum Lutheranis in iis locis agerent, ubi sese potestate civili superiores esse sciunt.*

ARTIC. III.

§. 1. Superest Art. III. in quo ostendemus, Apostolos & Discipulos Christi, errorem de regno mundano, à nobis hætenus denudatum, fovendo, alio tamen modo vel ratione, non fuisse justificatos, quam quo nos Evangelici omnes sanctos sub Vet. & Nov. Test. salvos factos esse, non contendimus modo, sed & fir-



miter probamus, nimirum ex gratuita DEI misericordia, propter meritum Christi fide apprehensum, peccata remittentis, justitiamque Christi nobis imputantis.

§. 2. Contrarium hic tenet Episcopus ad Jo. Arnold. Corvinum in epist. Vir. Præst. p. 314. scribens: *die hujus mensis Febr. 10. instituta fuit à D. Sibrando disputatio, ex occasione cujusdam objectionis mea &c. occasio objectionis erat vox fidei, de qua dixeram; non ita absurde sentire illos, qui illam propriè non metonymicè accipiendam putarent, & quia sub finem nascebatur, unica tantum erat, eaq; hæc: Quia fide quidam justificati fuerunt, quorum objectum non potuit esse justitia Christi, proinde quorum fides pro objecto apprehenso, metonymicè accipi non potuit: tali fide justificatos dicebam Apostolos ante mortem Christi, quorum fidei objectum non potuit esse justitia Christi, quia nesciebant moriturum illum, ne dum morte sua justitiam allaturum; Sicut illud opinio & præjudicium eorum de regno terrenò, etiam post ipsam resurrectionem factam, manifeste arguunt. Sic Episcopus. Eandem objectionem, quamvis ex alia hypothese, movet M. Becanus P. 2. Th. Sch. tr. 4. c. 2. q. 6. §. 13. Quomodo, inquit Becanus, Magdalena poterat sibi persuadere remissa sibi peccata, & habere Deum Patrem propitium, propter mortem & passionem Christi, cum adhuc nihil sciret de morte & passione Christi? ipsimet Apostoli, qui procul dubio justificati erant, non credebant Christum passurum, & cruci affigendum. Dicat nunc Calvinus, an Apostoli & Magdalena justificati fuerint fide? at non credebant propter Christi mortem & passionem sibi remissa esse peccata: quam cramben iisdem verbis recoquit in Manuali suo l. I. c. 16. Nos jam id non agimus, ut examinemus sententiam Episcopi & Remonstrantium Sociniano-Pontificiam, de natura fidei justificantis, statuentium, propriè, non metonymicè in respectu ad suum thesaurum, fidem justificare, hanc enim controversiam expeditam inveniet lector in disp. 13. D. D. Calovii de Arminianismo, cum qua conferri merentur illa, quæ D. D. Hülsemannus exquisitè disputavit contra H. Grotium: hæc inquam mittimus, & pro instituto nostro, raticinationem tantum Becani expendemus; destructo autem argumento Becani, simul discursus Episcopi est collapsurus. Argumentum Becani ita adstringemus: Nullus mor-*

tem

Luc. 7.

tem Christi ignorans & non credens potest per fidem, mortis Christi beneficia sibi applicantem, justificari: Magdalena & Apostoli sunt ignorantes, & mortem Christi non credentes. E. Et hinc sponte fluit, justificationem non in illa sitam esse re, quam quidem Lutherani asserunt. Possimus ad Maj. respondere limitando hunc in modum: I. Nullus mortem Christi ignorans, vel non credens, ignorantia vel incredulitate affectata, pravæ dispositionis, ex malitiosa vel ἀμελεία, vel contumacia, proficiscente, ac informationem respuente, & quidem eo tempore, quo clarum mane fenestras jam dilucidissime intravit, mysteriiqve revelatio plenè facta est, potest per fidem mortis Christi beneficia apprehendentem justificari: & sic concedo majorem, sed nego minorem. Id quod 2. in simili ostenditur: Nullus ignorans & non credens Jesum Nazarenum esse verum Messiam, est bonus Israelita, & salvatur, Atqvi Nathanael. E. conclusio est falsa, E. vel major, vel minor, non minor, E. major crudè accepta. 3. Distingvendum est inter fidem infirmam, nonnunquam hæsitantem, luctantem, vincentem, triumphantem: aliud igitur est, aliquo tempore & modo hæsitare, aliud negare, & prorsus non credere: verum adhuc propius machinas ad propugnaculum Becanianum admovebimus, & de habitu animi Apostolorum, de quo quidem supra prolixè satis, nec non Magdalena, dispiciemus. Et 1. notamus in Becano, Scholæ Papæ communem, eumqve præfractum errorem, asserente, peccatricem Luc. 7. esse Mariam Magdalenam, cum nomen mulieris apud Evangelistam non habeatur, & rationes validæ sint, quæ convincant, istam peccatricem diversam esse à Maria Magdalena. Contendit id quidem Baronius multis demonstrare T. 1. Annal. ad Ann. Ch. 32. n. 17. quem cum asseclis accuratè refutavit H. Casaubonus in Exerc. 14. n. 11. seqq. sed qui mos est hominum obstiporum, Spondanus nihilo cautior factus, eundem errorem temerè defendit ad Ann. Ch. 32. n. 5. 6. Probet 2. Becanus, istam mulierem de passione & morte Christi nihil scivisse, nudè enim asserenti non credimus. Dicit Jesuita; si Apostoli nesciverunt, mulier multo magis id ignoraverit. Resp. igitur 3. negando consequentiam: nam si inter illos, qui in gentilitate & nati & educati fuerant, repertus est, qui fide omnes Israelitas an-



tecelleret, quid miri, si muliercula aliqua majorem cognitionem habuerit, quam ipsi Apostoli: prius autem legitur de centurione Capernaitano Matth. 8, 10. Ex hypothese Becani & Pontificiorum 4. falsum est, Magdalenam nihil de morte Christi scivisse: nam Christus Matth. 26, 12. obmurmurantibus, & mulieri, Dominum unguento perfundenti, indignantibus Apostolis, dicit: *Quid molestis estis huic mulieri? mittens enim hoc unguentum in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Si mulier hoc fecit ob imminentem sepulturam, mortem utique Domini illo saltem tempore ignorare non potuit, hæc autem mulier ex vulgata Papistarum sententia fuit Maria Magdalena. Hinc 5. patet, mulierem illam certò sibi potuisse persuadere, remissa sibi esse peccata, sequere Deum Patrem propitium habere propter mortem & passionem Christi, advertite quæso actus istos, ad veram & salutarem poenitentiam requisitos: Christum quæsiuit & accessit, non alium: lachrymas ob peccatorum conscientiam & detestationem ubertim profudit: sacro isto imbrepedes Christi quasi inundavit; capillis suis maximo humilitatis signo, aquam deterisit, & cum osculatione pedes dominicos unguento delibutos dedit: fidem in corde residentem, totque radiis promicantem, conspexit Salvator, & gratiosè mulierem à se dimisit. Quid hinc deest eorum, quæ ad plerophoriam fiducialem requiruntur? Opponimus 6. Becano Costerum, falsa quidem veris miscentem. Is de præparationibus hominis animum ad infusionem justitiæ aptantibus, agens, p. m. 2. 54. Ench. scribit: *In his autem præparationibus primum locum sibi vindicat fides, ejusque operatio, quæ est credere. Nam accedentem ad Deum oportet credere Hebr. 11, 6. Primo quidem quia est; & quod inquirentibus se remunerator sit: tum, unum esse Redemptorem & Salvatorem Jesum, qui sanguine suo pro peccatis nostris pretium solvit. Ex hac fide, quæ in intellectu versatur, oritur secundo loco in voluntate spes, quæ peccatoris animus erectus confidit sibi Christi meritis peccatorum condonationem. Quibus post aliqua subnectit: Magdalena, nec sine fide, nec sine spe ingressa in domum Pharisei, lacrymis rigavit pedes sui redemptoris, non tamen prius fuit justificata, vel fide, vel spe, quam à Christo diceretur, remittuntur tibi peccata tua.* Ubi Costerus & fidem, & spem remissionis peccatorum

rum



tum per mortem Christi in muliere peccatrice agnoscit, licet neget vel fide, vel spe, justificatam, sed præparatam tantum fuisse ad justificationem asserat. Accedamus nunc ad exemplum Apostolorum. Dicimus igitur, Petrum non divinam tantum τὸ λόγος naturam in confessione nomine collegii Apostolici edita agnovisse, sed personam σὺνθετον alloquendo, officium simul Christi astruxisse. Tu, inquit, quod pronomen integram personam notat, es Christus, Unctus ille ad munus à DEO Patre destinatum obeundum, quod deinceps Joh. 6, 68. cum magna asseveratione repetiit. Esto igitur distinctè tum nondum cognoverint omnia redemptionis nostræ per mortem Christi parandæ momenta, credebant tamen, sese à morte æterna per Dominum liberatum iri. 2. Ex testimonio Evodii apud Niceph. 2, 3. communiter credunt Pontificii, quamvis falsò, Petrum ab ipso Christo esse baptizatum, à Petro Andream, & filios Zebedæi, & ab istis reliquos Apostolos, utiqve E. in mortem Christi fuerunt baptizati, juxta Apostolum Rom. 6, 2, 3. Quamvis autem 3. de Christo Joh. 4, 2. negetur, quod ipse manibus suis quenquam baptizaverit, citra tamen dubium à Johanne Apostoli Christi baptizati fuerunt in remissionem peccatorum, Luc. 3, 3. remissio autem peccatorum, citra fidem in mortem Christi obtingere nemini potest. Quandoquidem verò 4. Johannes suos discipulos & auditores non baptizabat modo in remissionem peccatorum, sed etiam indice digito agnum DEI peccata mundi tollentem, monstrabat, luce meridiana clarius est, mortem Messia, morte agni sacrificialis & paschalis adumbratam, Judæis non penitus fuisse incognitam, licet tum temporis homines nondum plenè, ob causas supra adductas, perciperent, quid typi isti secundum omnes circumstantias exactè designarent. Sufficiebat igitur credere, morti æternæ nos per Messiam, in typis quotidie maceratum, ereptum iri, licet rudioribus nondum liquidò constaret, ipsius quoq; Messia interfectionem necessariam fore. Aliud itaqve 5. est, prorsus aliquid non credere, aliud, præsertim in primordiis, cum læta, & infirmitate illud credere: aliud non credere, & aliud non perspicere, nec satis intelligere; posterius de Apostolis affirmat scriptura, non prius. In In comm. quæquem sensum Estius de Apostolis & Corinthiis loquens, ait: *negat per 1. Cor. 2, 14.*
igitur

igitur Paulus animalem hominem percipere ea quæ sunt Spiritus DEI: non quia Jesum Christum & hunc crucifixum, ac cetera, quæ credenda ab Ecclesia proponuntur, non recipiat: sed quod nondum sit aptus ad capiendum sublimiora divini Spiritus mysteria. Imminente, certè, quod 6. est, passione Dominica, Herum suum mortem obiturum, sanguinemq; in remissionem peccatorum effusurum, tantum abest ut negaverint, vel non crediderint, ut potius ea fini sacram cœnam institutam fuisse, ipso facto declararint. Et si autem 7. post mortem & resurrectionem Salvatoris, gloriam mundanam adhuc sperarint, id tamen neutiquam censendum est evertisse fiducialem apprehensionem meriti Christi, in quod fides salvifica unicè recumbit, & in eo acquiescit. Postquam verò 8. plenaria revelatio ipsis obtigisset, & Spiritus S. eos in omnem veritatem deduxisset, clariusq; docuisset omnia illa, quæcunque Magister prius monuerat, errorem istum carnalem non exuerunt modo, sed etiam vita, doctrina, & morte expresserunt, qualem & ipsi Regem crederent, & toti mundo credendum proponerent & commendarent.

Et hæc hæcenus dicta & explicata, sententiæ de regno Messia, & errore Apostolorum, aliquam fortassis lucem afferre poterunt: brevitatis temporis, quæ circumscripti fuimus, ingenii tenuitas, & alia nonnulla, quæ commemorare non opus est, veniam extemporali fere scriptioni apud æquos & bonos, ut opinor, facile impetrabunt. DEUS, qui bonitate Optimus, potentia Maximus est, Ecclesiam orthodoxam, in his terris strenuè militantem, adversus hostes defendat, ab erroribus immunem conservet, errantes gratia sua illuminet, nosque omnes pro benignitate Paterna, civibus Ecclesiæ in cœlo triumphantis olim associet, suoq; beatissimo conspectu æternum frui patiantur. Fiat, Fiat!

FINIS.

Jg 3140
0

ULB Halle
003 905 217

3



Handwritten signature or initials




1077

Handwritten signature or initials


Manlius





IX.
bonu
5 corr
Eti
emus.
לכ
petit
מ
um p
dias
hae fi
nitat
m Ch
norte
iam.
hendu
5 עו
ficat

D



B.I.G.

Farbkarte #13

7.

ang

I. N. D. N. J. C.
DISPUTATIO INAUGURALIS
De
ERRORE
APOSTOLORUM
ET DISCIPULORUM
CHRISTI

Circa Regnum Messiae mundanum,
Quam in Alma ARGENTORATENSIVM Univerſitate
SUB PRÆSIDIO

Viri maximè Reverendi
DN. JO. CONR. DANNHAWERI,
SS. Theol. Doct. ejusdemq; Prof. Primarii, Con-
vent. Eccles. Præſid. Capit. Thom. Decani,

Patroni & Præceptoris ſui ſummoperè venerandi,

Pro conſequendis Honoribus & Privilegiis

DOCTORALIBUS

In ſolenni congreſſu defendet

M. ELIAS VEIEL,

In ſummo ULM. Templo Eccleſ. & in Gymn. SS. Th. Prof.

A. M. DC. LXIV. M. Septemb. D. 14.

Horis ante - & pomeridianis.

ARGENTINÆ,

Apud SIMONEM PAULLI, Bibliop.
Literis JOHANNIS PASTORII.

